



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

Jacobi Gretseri Societatis Iesv Theologi Observationvm In Philippi Episcopi  
De Divis Eystettensibvs Commentarium Libri Dvo. In Qvibvs Variæ  
Difficvltates Historicæ Examinantvr, Encleantvr Et ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

JACOBI GRETSERI  
 SOCIETATIS IESV  
 THEOLOGI

OBSERVATIO-  
 NUM IN PHILIP-  
 PI EPISCOPI DE DI-  
 VIS EYSTETTENSIBVS  
 Commentarium

*LIBRI DVO.*

IN QVIBVS VARIÆ  
 DIFFICVLTATES HISTO-  
 RICÆ EXAMINANTVR, ENVCLE-  
 ANTVR ET ILLVSTRANTVR.

*IOB CAP. VIII.*

Interroga generationem pristinam, & diligenter in-  
 uestiga patrum memoriam. Et ipsi docebunt te,  
 loquentur tibi, & de corde suo proferent elo-  
 quia.

T 3

IN

149  
IN B. WALPVRGEM,  
E CVIVS SACRIS OSSIBVS  
OLEVM MIRE FVNDITVR, IVGIS  
CASTIMONIE INDICIVM.



*Nympha sacrata Deo, stillant tua viscera rore,  
Cur pingui, & duro cur liquor osse fluit?  
Viscera plena Deo, cæli nutrita medullis,  
Scilicet exsudant virginitatis opes.  
Nescit virginitas, nescit sterile scere tellus,  
Qua nunquam Veneris dente subacta fuit.  
Arescit viuens, carnis quam gaudia palpant,  
Mortua pinguescens intemerata manet.*

S. RICHARDO D.D.D. WIL-  
LIBALDI, WVNIBALDI ET WAL-  
PVRGIS GENITORI.

*A*nglia multa tibi debet, Germania multa;  
Nam tua progenies anxio utramque bonis,  
Hanc celebrem fecit cultu, Natalibus illam,  
Vtraque transcribit dona beata tibi.

INDEX



# INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI OB- SERVATIONVM.

De scriptoribus vite <i>VVillibaldine</i> , <i>VVunibaldine</i> & <i>VValpurgine</i> .	I.
Etymon, originatio & diuersitas scripturæ nominis <i>VVillibaldi</i> , aliorumq; huc pertinentium.	II.
<i>S.VVillibaldum</i> fuisse Anglum seu Anglofaxonē non Scoti aut Suenum.	III.
Vtrum <i>Richardus</i> fuerit Dux Sueniæ.	IV.
Vtrū <i>Richardus</i> fuerit Rex Angliæ, proponuntur argumenta negantia.	V.
<i>S.Richardum</i> fuisse Regem Angliæ.	VI.
De anno natalis <i>S.VVillibaldi</i> , <i>S.VVunibaldi</i> & <i>S.VValpurgæ</i> .	VII.
De ingressu <i>S.VVillibaldi</i> in Monasterium: Et num vetera Monasteria nil aliud fuerint, quàm scholæ literariæ.	VIII.
De tempore quo <i>S.VVillibaldus</i> & <i>S.VVunibaldus</i> ex Angliâ discesserunt, Quid de hoc tradat <i>Marcellinus</i> in vita <i>S.Sauiberti</i> : cum digressione, num historia illa de <i>S.Sauiberto</i> verè & sincerè nomen <i>Marcellini</i> præferat.	IX.
Quid <i>Oithlonus</i> de discessu sanctorum <i>VVillibaldi</i> & <i>VVunibaldi</i> proderit.	X.
Quid tandem sentiendum sit de <i>S.VVillibaldi</i> ex Angliâ discessu; Romæ aduentu, & in Germaniam ad <i>S.Bonifacium</i> missionem.	XI.
De Sacerdotio & Episcopatu <i>S.VVillibaldi</i> .	XII.
De quatuor Episcopatibus, quos <i>S.Bonifacius</i> in <i>Bauaria</i> reformauit.	XIII.
De occasione instituendi Episcopatus <i>Eystettensis</i> .	XIV.
<i>S.VVillibaldus</i> & successores eius sunt Suffraganei & Cancellarij sedis <i>Moguntinæ</i> .	XV.
De Rationali Episcopis <i>Eychstettensibus</i> à <i>S.Bonifacio</i> in signum primatus inter suffraganeos concessio.	XVI.
De Monasterio per <i>S.VVillibaldum</i> <i>Aichstadij</i> condito.	XVII.
De primo ortu & incunabulis Urbis <i>Eystettensis</i> .	XVIII.
Templa & Monasteria <i>Aichstadiana</i> .	XIX.

De

- XX. De viris Doctis, qui Eichstadij claruerunt.  
 XXI. De Cancellariatu Academiae Ingolstadiensis, quo Episcopi Eystettenses perpetuò funguntur, & de iuramentis quibusdam Academicis.  
 XXII. De morte, scriptis, festo & Reliquiis S. Villibaldi.  
 XXIII. De Canonizatione & translationibus S. Villibaldi.  
 XXIV. Conuicia Centuriatorum & Balai, iacta in S. Villibaldum.

## INDEX CAPITVM LIBRI II. OBSERVATIONVM.

- I. De consanguineis & cognatis S. Villibaldi.  
 II. De S. Villibaldo.  
 III. De S. Valpurga, aliisque sanctis feminis à S. Bonifacio in Germaniam euocatis.  
 IV. De S. Sola Abbate.  
 V. De aliis quibusdam Ecclesie Eystettensis patronis.  
 VI. Rhythmi Medibardi de Miraculis S. Valpurgae, quae Volfardus Hasenrietanus quatuor libris complexus est. Nunc primum è Manuscripto codice Bibliothecae Episcopalis Eystettensis publicati.  
 VII. Adelberti Abbatis Heidenheimensis de sanctis Eystettensibus & Heidenheimensi Monasterio commentariolum, nunc primum ex tenebris extractus.  
 VIII. De S. Deocharo Confessore.  
 IX. De S. Sobaldo Norenbergensium Diuo Tutelari.  
 X. De S. Stilla Virgine.

XI. De S. Luino Archiepiscopo et Martyre et

De S. Leuino  
Presbytero et Con-  
fessore.



OBSER-



OBSE RVATIO-  
 NV M IN COMMEN-  
 TARI VM PHILIPPI E-  
 PISCOPI EYSTETTENSIS, DE  
 VITA ET REBVS GESTIS SS. RI-  
 CHARDI, WILLIBALDI, WVNI-  
 baldi & Walpurgis.

*LIBER PRIMVS.*

CAPVT I.

*De scriptoribus vite VVillibaldina, VVu-  
 nibaldina & VValpurgina.*

**V**ITAM & res gestas S. Willibaldi litteris  
 mandauit I. Sanctimonialis illa, quæ *Ho-  
 deporicon* seu *Itinerarium*, Hierosolymita-  
 num S. Willibaldi conscripsit; quod ex-  
 stat Tomo IV. Antiquæ lectionis; vbi etiam D. Cani-  
 sius disquirat, num Monialis ista fuerit ipsa Walpur-  
 gis, soror Willibaldi; an aliqua alia. Et credibilis est  
 aliam fuisse, ob rationes, quas ibidem D. Canisius ad-  
 ducit, tamen Adalbertus Abbas Heidenheimensis  
 pro certo habet, S. Walpurgâ de rebus gestis fratrum  
 suorum

suorum Willibaldi & Wunibaldi commentaria scripsisse, profitemur enim nō semel, se ex his lucubratione suam de S. Willibaldo & Wunibaldo contexuisse. Eiusdem sententiæ est Medibardus in Rhythmis de S. Walpurga. *Superstes, inquit, utrique fratri, utriusque breuiter, sed veraciter conscripsit vitam insignissimam.* Quanquam errat, cum Walpurgam utrique fratri superstitem fuisse ait; mortua enim est ante Willibaldum, ut testatur Philippus & alij. Vtrum autem Adalbertus *Hodæporicon*, &, historiam Willibaldinam, quæ Tomo I V. Canisiano exstant, significet; eaque à S. Walpurga conscripta crediderit, an alia commentaria ab eadem virgine elaborata viderit, affirmare non habeo. Certè pleraq; si non omnia, quæ Adalbertus adfert, in historia Willibaldina & in *Hodæporico* inueniuntur; quod *Hodæporicon* stylo paululum limatiore Anonymus quidam reddidit, recisis nonnullis, ut Tomo I V. *Antiquæ Lect.* videre licet.

II. Eandem vitam Willibaldinam in literas retulit Reginoldus XI. Eystettensis Episcopus, teste Bruschio in Catalogo. Num verò Historia, quæ Tom. I V. *Antiq. Lect.* inserta est, sit illa, quam Reginoldus scripsit, non facile dixerim.

Jdem Reginoldus Musices peritia pro temporum illorum ratione excellēter instructus, rhythmis quoque ad Musicos modulos accommodatis S. Willibaldum cohonestauit; de quo Anonymus Auctor, qui sub Gundakaro II. huius nominis Eystettensi Episcopo vixit, ista. *Reginoldus, accepto Episcopatu summo studio summaq; deuotione, historica de S. Willibaldo carmina composuit, totamq; scientia sua vim in his decorandis*  
atque

atque mirabiliter variandis excitauit. Hinc est enim, quod quibusdam Responsorii longissimas in fine notulas apposuit, eisdemq; notulis versiculos, instar sequentiarum, subiunxit. Quod quidem intertio, sexto, & nono fecit. Et tertio paucos versiculos, sexto plures, nono dedit plurimos. Sed vide ordinem. Tertio minimum iter, id est, initium peregrinationis attribuit, scilicet, ubi de patria exiit. Sexto maius, quo Romam venit. Nono maximum, quo Hierosolymitani itineris qualitatem in versiculis noni Responsorij conatus est exprimere. Nam quemadmodum sanctissimus viator noster de Italia in Graciam, de Gracia in Iudaam, iterumque de Iudaea in Graciam, de Gracia in Italiam, & inde huc ad nos vsque saluus peruenit: ita solertissimus noster Musicus primò latinos, dein grecos, mox hebraeos, iterumq; grecos, ad ultimū latinis fecit versiculos. Hucusque Anonymus. Sed num hæc Responsorioria, & tam exarsciata cantica & carmina alicubi supersint, nescio. Hoc scio, in Breuiario & Missali Eystettensi non comparere.

III. Vitam Willibaldinam ad posteritatis memoriam transmittere studuit Philippus XXXIX. Eystettensium Episcopus, quem nunc primū in lucem proferimus; hætenus enim in membranis, calamo exaratis delituit; nisi quod superioribus annis Reuerendissimus Dominus Laurentius Eyszephius, Suffraganeus Eystettensis, epitomen quandam inde confecit, & euulgauit in charta, vt vocant, patente: & cum commentarius Philippi non tantū contineat res gestas S. Willibaldi; sed & nonnulla de SS. Richardo, Wunibaldo & Walpurga delibet, epitome Eyszephianna de iisdem Sanctis nequaquam siluit. Quidquid autē Philippus in hac lucubratione adfert, id se ex antiquioribus monumentis accepisse non semel testatur.



De S. Richardo nihil ex instituto, quod ego quidem compererim, reperitur, præter id, quod Tomus I. Surij ad VII. diem Februarij suppeditat. Epitaphium, nonnulli indigitant.

S. Wunibaldi vitam sanctimonialis Heidenheimensis conscripsit, stylo impolito & prorsus inculto, quam inuenies Tomo IV. Canisiano, sed sine mutilam, quamuis pauca deesse videantur. Vterq; tamen codex manuscriptus Arcis Willibaldinæ, verbis illis terminatur: *Et gaudens pergebat, qui tristis veniebat.* Omissis illis, quæ in Canisiana editione subiunguntur, vt probabile sit, editioni Canisianæ potius aliquid superesse, quàm deesse.

Scripsit etiam S. Walpurgis de rebus gestis & miraculis S. Wunibaldi, testibus Philippo cap. 28. Adelberto & Medibardo, de quibus supra. Quæ scriptio vel periit, vel alicubi adhuc delitescit; nam illa quæ Tomo IV. Canisiano inserta est, ab alia manu venit. Adfert Philippus in hoc suo commentario non pauca de S. Wunibaldo, cuius acta longè antè scriptis illustrauerat Reginoldus Episcopus, teste Bruschio, sed scripta hæc vel interierunt, vel alicubi adhuc cum blattis & tineis, cumque situ & puluere bellum gerunt.

De eodem Sancto edidit ante paucos annos non ineruditum commentariolum, R. P. Carolus Stengelius, Ordinis D. Benedicti, Augustæ Vindelicorum, ad S. Vdalricum Professus, interspersis haud paucis de S. Richardo, de S. Willibaldo, de S. Walpurga, deq; eorundem cognatis, S. Bonifacio, S. Willibrordo, & S. Sola.

Res S. Walpurgis proprio syntagmate complexus est Philippus, quod Tomo IV. Antiq. Lect. leges. Ex quo

quo iussione Monialium Walpurgensium confecta est illa Epitome, quam non ita pridem publicavit D. Petrus Steuartius, Academiae Ingolstadiensis Professor & Procancellarius. Philippum antecessit Wolfardus Hasenriedensis, qui vitam & miracula D. Walpurgis quatuor libris exposuit; quos Erckanbaldo Episcopo Eystettensi dedicavit, duos priores, quamuis non integrè, vulgavit Tomo IV. D. Canisius. Omnes & integros, adiunctis tamen Canisianis, debet lector D. Steuartio, qui ex Codice manuscripto eos exscribendos, & in lucem promendos curavit.

Porro miracula S. Walpurgis, quæ Wolfardus soluta oratione exsecutus est, rhythmis inclusit *Medibardus* seu *Medingaudus*, cuius metricum laborè nunc tandem in publicum proferimus; commodissimè Wolfardo Steuartiano iungi potuisset, si cùm excuderetur, ad manum manuscriptus codex fuisset.

De Wolfardo hanc historiolum reperi in Anonymi, de quo antea, syntagmatico. *Cum graviter contra Episcopum (Erckanbaldum) deliquisset, & in carcerem missus, veniam per neminem impetrare potuisset, egomet, inquit, intercessor mihi fiam, factus q̄, in carcere historicis de sancta VValpurga carminibus, tandem egredi permissus, ut ante Episcopum venit, nouum illud sanctæ Virginis Responsorium alta voce percantauit, sic q̄, non solum veniam, verum etiam honorem & remunerationem promeruit.*

Supradictis scriptoribus omnibus antiquior est S. Willibaldus, quem sororis suæ Walpurgæ vitam, in literas misisse, scribit Balæus Centuria secunda scriptorum Britannia, & Centuriatores Cent. IIX.

Idem Balæus Cent. VII. alium vitæ Walpurginæ scriptorem nobis suppeditat, Ioannem videlicet Pole

seu Polum, illustris generis sacerdotem; ipse per calumniã *sacrificulũ* appellat: qui in Italiam profectus, *Richardi cuiusdam Anglorũ reguli Sarcophagum in quodam pagoreperit*. Siccine Luca nobilissima & amplissima, Hetruriæ civitastibi pagus est? Ibi enim sepulchrum S. Richardi visitur. Nec alibi Polus iste Sarcophagum S. Richardi reperire potuit, quàm Lucæ. Quid amplius Balæ? *Ex cuius filie VValpurgæ, mulieris olim Anglica, amore, vel saltem ad eam, ut loquuntur, deuotione, quidquid monumentorum veterum illic reperire poterat, arrepto statim calamo, membranis tradidit*. Bonum factum, ô Balæ, vtinam Poli huius lucubratio non ad tuas, sed ad nostras manus peruenisset. S. Walpurga *mulier* fuit; sed sancta & virgo, in eius cultum meritò accensus est Polus, quandoquidem nō ignorabat, eam cum Deo in cœlis immortalem vitam agere; Itaque si vitam S. Walpurgæ vno libro, & vno itidem miracula eius complexus est, fecit, quod pietas & reuerentia exigebant; qui, si scribit, magnum illud Dei pare dicatum templum Antuerpiæ primitus à S. Walpurga constructum esse, causas sine dubio, cur id scriberet, habuit. Ego cum Auctorem istum non viderim, nihil quod aut affirmem, aut negem habeo. Claruisse fertur Polus anno M. CCCC. XXX. mortuus & sepultus Colonæ.

Addatur deniq; Adelbertus Abbas, qui sub Eugenio III. Pont. Max. syntagma quoddam de tribus his Diuis collegit, tamen si potissima eius cura est ostendere, quomodo Monasterium Heidenheimense à S. Wunibaldo conditum, & postea ad Canonicos seculares translatum, opera Eugenij III. Rom. Pont. & Eberhardi Episcopi Bambergensis ad Ordinis Benedictini professores redierit.

Silen-

Silentio hîc præterire nequeo clarissimum, mihi que, dum viueret, amicissimum virum *D. Henricum Canisium* SS. Canonum in Academia Ingolstadiensi Professore celeberrimum, quem de Diuis Eystettensis Ecclesiæ quàm optimè meritum esse, nemo sanæ mentis abnuerit: cùm eis vitam quodammodo apud homines restituerit, vindicatis in lucē Commentariis, quibus eorum præclare facta explicantur: Ipse enim Tomo IV. Antiquæ Lætionis vitam geminam S. Bonifacij euulgauit; alteram, scriptam ab Othlono, alteram, à S. Willibaldo. Ipse eodem Tomo, cùm alia ad S. Willibaldum pertinentia, tum duplex eiusdem Hodœporicum seu Itinerarium protulit. Ipse S. Wunibaldi vitam antea nō visam lectoribus legendam exhibuit. Ipse Commentarium Philippi Episcopi Eystettensis de vita S. Walpurgis, & alterum Wolffhardi Hasenrietani de miraculis eiusdem sanctæ Virginis publicauit, vt proinde & lectores, & Biographi, & ipsi Diui nostri laboribus Canisianis gratias debeant; quas eum à cœli indigenis iam accepisse ipsa infelicissimam illorum societatem cooptatione; nullus dubito, & vt non dubitem facit vita semper inculpate ac innoxie acta; & si quisquam est, cuius tumbæ meritò adscribatur:

INTEGER VITÆ SCCELERIS QVE PVRV  
is Henricus Canisius est.

Circumferuntur de iisdem Diuis Eystettensibus quædam vernaculo idiomate, quorum pars edita, pars inedita; nam quæ ex Codice Walpurgensi latine publicauit D. Steuartius, ea quoque in Germanicam linguam translata sunt; sed typis non excusa, tametsi digna typis, vt & latinæ linguæ imperiti intelligant,  
quàm

*Hierem. 6.*

quàm procul à maiorum suorum tramite abscefferint; qui malunt iam aures dare Luthero vel Caluino, quàm fratribus S. Walpurgæ, Willibaldo & Wunibaldo. *State super vias*, monet Propheta, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis requiem animabus vestris. At quis fructus huius tam fructuosæ & salutiferæ admonitionis? Et dixerunt: Non ambulabimus; Et constitutus super vos speculatores: Audite vocem tubæ (Willibaldinæ & Wunibaldinæ) & dixerunt: Non audiemus. Quis obstinacæ huius pertinaciæ finis? Ecce ego adducam mala super populum istum: fructum cogitationum eius: quia verba mea non audierunt & legem meam (per Willibaldum & Wunibaldum annunciatam) proiecerunt.

## CAPVT II.

*Etymon, originatio & diuersitas scripturæ nominis Villibaldi, aliorumq; huc pertinentium.*

**N** omnibus ferè huius generis vocabulis, quæ à septentrionalibus populis fluxerunt, magna apparet scripturæ varietas, quam, si nomen Villibaldi non effugit, quid mirum? Hinc legas: Villibaldus, Vilibaldus, Vilbaldus, Bilibaldus, Bilbaldus, Villiboldus. Frustra enim sunt, qui separant; cum a & o in his permutare perquam solenne fuerit: nam cui ignota sunt ista? Reginaldus, Reginoldus, Arnaldus, Arnoldus, Magnoldus, Magnaldus seu Magnoaldus, Bernoldus, Bernaldus? Apud Auentinum hominem nouendorum vocabulorum cupidissimum lib. 3. Annalium Boicorum inuenies Vileualdum; & fratrem eius Vvebal-

*Waldam*; terminatione seu positura<sup>2</sup> foemina-  
na.

Est autem Philippo nostro cap. 4. *V Villibaldus*,  
prompta voluntas, *citò volens*, nā Germanis voluntas  
est *Wilt*; & *Wald*; *citò*. vnde fortassis & simplicia illa,  
*Baldo* & *Baldus*; nisi malis à *sylua* seu *Wald* deducere;  
vt sint quasi *VValdo* & *VWaldus*. *VVila* seu *VVilla* simplex  
muliebrenomen, quo appellata est vxor Berengarij  
Regis apud Reginonem, cū plurimis in composi-  
tionem venit, vt videre est in Catalogo vocabulorum  
propriorum Alamannicorum. Tomo II. Rerum Ala-  
mannicarum.

Aliis alia Etymologia arridebit; nominatim illa  
Auentini in *Nomenclatura*, vbi isthæc. *Billebald*, *Bilbold*.  
à *sylua*. *Vualinalda* est primus *Aichstadiensis* Episcopus. Quo  
loco aliam nouationem in nomine *V Villibaldi* ob-  
serues licet. *Wald* / inquit idem Auentinus, *sylua est*.  
*Vnde Wassen* est votis susceptis ad templa peregrè proficisci.  
Nos *Wassen* nominamus, nam literæ *u*, duplex *uu* & *b*  
permutari solent, vt & *b* & *p* apud Germanos: Quo fit,  
vt *V Villibaldus* quibusdam sit *Bilibaldus*.

Erit fortè, qui *V Villibaldum* interpretetur, *ferans*  
*syluam*, *ein Wilden Wald*. Aliusaliter. Ita nunquam in-  
geniis defunctus, in quibus se exerceant. Legi libel-  
lum hoc titulo: *Aliquot nomina propria Germanorum ad*  
*priscam Etymologiam restituta*. Cuius Auctor ne ad hanc  
cœnam a symbolo veniret, hanc symbolam liberali-  
ter confert. *V Villibald*, *Bilbald*, rectius *Bilewald* / id  
est, *multis præfectus*, *multa gubernans*, quasi *supremus* vel  
*maior gubernator super ceteros*, veel enim, accentu circum-  
flexo, *Saxonice multum* significat, aut à bonitate *Wolwald* /  
*bene gubernans*, velut omnis boni gratia sic vocatus.

X Wuni-

Wunibaldus quoque variam sortem subiit; quippe qui interdum sit *Wunnibaldus*, geminato *n*, Interdum *Wuinibaldus*: aliquando, *Wimbaldus*: Auentino *Wunbalda*. Quibusdam *Wunipaldus*. Aliis, *Bunibaldus*. Posterior pars nominis cum sit eadem quæ in nomine *Willibaldus*, eandem quoque ingenii ludendi & fingendi materiam subministrat. Prior pars videtur esse à Germanico *wun* seu *wohn*/quod est *opinio*, *suspicio*, & *existimatio* (unde compositum *argwon*) ut cum dicimus; *Res euenit mihi nach meinem Wunsch* seu *Bon vñ Wunsch*/ prout putabam, *suspicabar* & *optabam*. Qua notione Wunibaldus erit, *existimans citò*, *suspiciās citò*. Hæc mea coniectura est. Alius aliud coniectet, campus enim iste liberrimè omnibus coniectoris patet; & sine periculo hæreseos, tametsi non sine periculo excitandi risus decurritur.

De Etymo nominis *Walpurga* seu *Walpurgis*, nihil dico: singulas originationes, etiam Goropianas, inueniet Lector apud *D. Petrum Stenartium* in Notis ad vitam *S. Walpurgæ*.

*Richardus* latinâ linguâ est *dives valde*, inquit *Philippus* cap. 11. *hart* enim *Philippo* idem est, quod *vehementer*. Auentinus in Nomenclatura. *Reichardus*, diuitiarum sue Regni thesaurus. *Richarda Augusta*, uxor Imperatoris *Caroli III*. *Richissa*, *Augusta*, uxor Imperatoris *Lotharij II*. Auctor libelli Etymologici, de quo supra mentio facta, alium ludum ludit. *Ricardus*, inquit, *Ricardis*, *Reichrat* / *Ricrat* vel à diuitiis, quasi *dives consuli*; vel verius, *Reckrat*/ *consul inter gigantes, nobiles, Heroas*. *Recke* enim significat *proceros, magnos, heroicos, fortes viros, gigantes*. Hunc hodie videntur appellare *Kriegsrat*. An habet hic Lector quod culpet, quasi iste fingendi prurigini nimis parum indulserit? Variè

Variè porrò scribitur Richardi nomen. *Richard/*  
*Richhart/Rihart/Rihhart/Rihhart;* Nec cum hoc tan-  
tum, sed cum plurimis aliis propriis nominibus com-  
ponitur, vt docebit te Catalogus priorum nomi-  
num Alamannicorum, Tomo II. Antiquit. Alaman-  
niæ.

Vxor S. Richardi dicitur appellata *Bona* seu *Bon-  
na*, scribunt etiam *Wuna/Wona*. Itè *Wuuna & Wu-  
na* nec *Bona*, hoc loco est Latina vocula, sed Germa-  
nica, significans *opinionem* seu *suspicionem*. Et si Latinis  
quoq; propria nomina sint *Bonus & Bona*.

Germanis, *Guta* seu *Guta*. Græcis, *Agatha*; à  
qua dictione per aphæresin & apocopen ipsum vo-  
cabulum Germanicum desumptum videtur; Quàm  
enim facilis mutatio *Gat* in *Gut*; vnde Germanis  
quoq; *Gor* quasi *Gut*; quid enim melius Deo? com-  
posita sunt *Gudraud/Gudrud* bene fidens, nihil mali  
timens. *Gutodruda* Regina Longobardorum, vxor.  
Luitprandi, filia Theodonis, Ducis Boiorum. *Guta*  
fit etiam *Guta/Guta* mutato *G* in *c*, solenni scilicet  
more. Composita, *Gutarat/Guterat*; bonum consilium;  
*Gutchild* bonus filius, vel bona filia. *Gutwina*. Bonum  
vinum.

Serò autem apud Germanos & Alemannos con-  
suetudo obtinuisse videtur, vt à Sanctis nomina im-  
ponerentur; sed quemadmodum Græci & Latini ex  
sua; ita Germani, & qui ex Germanis in alias regiones  
colonias duxerunt; ex sua lingua tam viris, quàm mu-  
lieribus appellationes indebant, donec tandem me-  
lior mos eualuit, qui & hodie apud plerosque obti-  
net, vt nomina propria non nisi à Sanctis vtriusque  
veteris ac nouæ Legis petantur. Quanquam plerisq;



Sectariis iucundiora accidunt Prophetarum antiqui Testamenti vocabula, quàm Apostolorum, Marcyrum, Confessorum, Monachorum, Virginum, & Viduarum.

In Canone XX. Concilij Nicæni ex Arabica versione ita præcipitur: *Fideles nomina Gentilium filiis suis ne imponant, sed potius omnis natio Christianorum suis nominibus utatur, ut Gentiles suis utuntur, imponantur quæ nomina Christianorū secundum scripturam in baptismo.* Quod in aliis itidem posterioris æui Conciliis decretum nouimus. Sed nescio, quàm sanctè ubiq; terrarū statutū hoc obseruetur; nisi quòd qui nomen nullius Sancti accepit, eò eniti debet; ut nomen profanū sanctificet, ita ut posteris tanquam sacrum & venerabile imponi queat: quo pacto sanctificata sunt nomina Saxonica seu Teutonica *VVillibrordi, VVillibaldi, VVunibaldi, VValpurgis*, & id genus alia, quæ nunc infancibus, quando salutifera baptismatis vnda abluuntur, veluti à sanctissimis viris usurpata, & usurpando consecrata imponi consueverunt.

Ridiculè Calviniani Ministri in Synedriis suis Belgicis & Francicis apud Schultingium in *Hierarchica Anacrisi*. Liberum est filiis imponere nomina, qualia quis velit. (Ergone etiam Ethnica, Turcica, Saracenicæ, Laponica, Sinica, Brasileensia?) Quilibet tamen monebitur, ut nomina Deo & Christo propria, ut Emmanuel, Saluator, &c. & officiorum ac ministrorum, ut Angelus, Baptista, & similia, que sapiunt superstitionem, filius non imponat. Quàm religiosi & reuerentes sunt isti Calvinicolæ? Vnde tam subito tanta eis religio & reuerentia? Bene actum censeo cum Emmanuele Rege Lusitanie, cum Angelo Policiano, & cum Baptista Mantuano, quòd  
in

in horum tempora non incidere, alioqui noua nomina sibi sumere coacti fuissent; quamuis nomenclatura in nouatio & mutatio, etiam post Baptismum, culpanda non sit, si cum ratione fiat. Quare iam olim Romanis V Villibrordus factus est *Clemens*; V Vinfridus, *Bonifacius*, quia Italicis auribus Germanica illa nomina nimis dura & aspera videbantur.

Sed ut ex hoc diuerticulo domum redeamus; *Bona* Teutonicum vocabulum est, significans opinionem & suspicionem, nec pro Latino habeas, licet *B* in *B* mutato, *Bona* tibi occurrat, ut antea dictum est.

## CAPVT III.

*S. Willibaldum fuisse Anglum seu Anglo-saxonem, non Scotum aut Sueuum.*

**R**obatur hoc I. ex Hodæporico S. V Villibaldi, ubi non procul ab initio Scriptrix illa dicitur: V Villibaldum infantulum grauitè agrotantem oblatum fuisse ad Dominicam sanctamque crucem Saluatoris, quia signos est Saxonica gentis, inquit, quod in nonnullis nobilium honorumq. hominum prædiis non Ecclesiam, sed sanctæ Crucis signum in sublimè erectum, cum magno honore habere solent. Erant ergo parentes V Villibaldi, & quod inde sequitur, ipse V Villibaldus, de gente Saxonica; quandoquidem ex more gentis suæ Saxonica Crucem erexerant.

Idem probatur II. ex Hodæporico altero, cuius scriptor vel potius prioris Hodæporici Epitomator anonymus est Tomo IV. Antiq. Lect. qui in ipso vestibulo isthæc. *Præsuligitur V Villibaldus, Angelica castitatis instar, de genere Anglorum emicuit oriundus.*

Probatur III. Ex Itinerario sanctimonialis Heidenheimensis, quæ in præfatione disertè scribit, se Saxonica de gente originem ducere. At ibidem eadem Monialis testatur se esse propagatam *de stirpe genealogia V Villibaldi*, fuit igitur ipse etiam V Villibaldus de gente Saxonica.

Probatur IV. Ex vita S. V Vunibaldi, vbi hæc de illo: *Saxonicam iterum propria natiuitatis terram visitare volebat, tentaturus, num quem de sua genealogia ad sacram diuinæ seruitutis militiam adducere posset.* Si ergo V Vunibaldus erat de gente Saxonica; cur non & frater eius germanus V Villibaldus?

Probatur V. Ex Reginoldo, si tamen is scriptor vitæ, quæ Tom. I V. Canisij inserta est: vbi primæ verba sunt ista. *Originem egregij Confessoris Christi atque Pontificis V Villibaldi Saxonica tellus, id est, Anglia, ex cepit.*

Probatur VI. Ex V Volfardo Hasenrietano, qui initio Historiæ de miraculis S. V Valpurgis, gentem Anglorum ad fidei Christianæ instituta traductam, comparat fructuose arbori, quæ radices mittit ad irriguas & nunquam deficientes aquas. *Huius eminentis arboris ramus, inquit V Volfardus, exstitit Bonifacius. Eiusdem florida atque frondose arboris Britannicæ rami ad nos usque exsistere protensi duo beati Confessores V Villibaldus & V Vunibaldus cum castissima sorore Virgine Christi V Valpurga.* Nō ergo S. Bonifacius fuit Scotus, hoc est, Hibernus, vt appellatur à Mariano Scoto a nō Christi DCC. XLI. Multoq; minus S. V Villibaldus incunabula sua Scotis debet, siue Scotos voces Hibernos, siue Aquilonarioris Britaniæ incolas, quem ipse etiam Balæus Sectariorum terribimus, Anglum, & quidem

Dene-

Denoniam, facit. *Villibaldus Denonius*, inquit *Novator* Centur. 2. scriptorum Britanniae cap. 16. *ex illustribus tam orientalium, quam occidentalium Anglorum ortus familiaris, &c.*

Accedat V II. *Othlonus*, qui in S. Bonifacii vita ait, S. Bonifacium in patriam suam, hoc est, in Angliam, misisse, & inde ad Germanicam animorum messem euocasse tam viros, quam foeminas, *Willibaldū, Wunobaldum, Walpurgam, Liobam & alias*. Porro patriam Bonifacii, *Othloni* sententia; fuisse Angliam, planum fit ex ipso statim vestibulo Historiae Bonifacianae, & resperse dilucidior est, quam ut longa probatione egeat, Ex quibus constat, etiam S. Richardum, patrem S. *Willibaldi*, fuisse Saxonem seu Anglum, seu Anglofaxonem: neque enim V *Villibaldus*, V *Vunibaldus* & V *Valpurgis* recte dicerentur ex Saxonica gente vel stirpe progenerati, si Richardus fuisset *Suevus*, vel *Burgundus*, ut nonnulli volunt.

Obseruetur autem; etsi *Anglus & Saxo* absolute distinguuntur, saepe tamen promiscue pro eadem natione accipi, cum simul in Albionem seu Britanniam migrarint, & ante hanc migrationem, vicinis quoque sedibus copulati fuerint; hinc compositum illud *Anglofaxo*. Consule Serarium lib. 3. *Rerum Mogunt.* Notatione prima in S. Bonifacii vitam.

## CAPVT IV.

*Utrum Richardus fuerit Dux*

*Suevia.*

**R**efirmant recentiores Munsterus in sua *Collographia*, *Henricus Pantaleon de viris illustri-*

*Lib. 3. cap. 379.*

*lustri-*

Quarquam *Marianus* ad annum Redemptoris 717. Bonifacii natale solum Angliam statuit his verbis. *His temporibus Winfridus, qui postea cum Episcopus ordinaretur, Bonifacii nomen accepit, doctor Catholicus, natione Anglus, primum Romam, deinde cum auctoritate Gregorii Papae in Franciam ad predicandum verbum Dei peruenit. Legerat etiam Marianus Epistolam Zachariae Pontificis ad S. Bonifacium, quae est inter editas a Serario 140. in qua discrete scribitur fuisse natum & nutritum intransmarina Saxonia de gente Anglorum.* Legit *Marianum* eam Epistolam inde liquet, quia citat illam ad annum Romani 743. Itaque, quod hoc ipso anno, & anno 741. *Scotus* appellatur, id non a *Mariano*, sed ab alterius manu profectum videtur; nam quaedam *Mariani Chronici* superaddita fuisse, testantur illi, qui calamo exaratos Chronici illius codices paulo vetustiores inspexerunt.

*Volum. 1. Gene-  
rat. 43.*

*Lib. 3. Exeg.  
Germ. cap. 80.*

*VVion lib. 4. lig.  
Vita cap. 24.*

lustribus Germaniæ: Martinus Crusius in Sueuicis, vel potius Volufianis suis Annalibus. Nauclerus, Irenicus, Chronicon Anonymum excusum Norinbergæ anno Christi M. CCCC. XCIV. & Philippus noster. Deniq; Breuiarium Eystettense ait Richardum nobili prosapia ortum, patre Teutonico, Duce Sueuiæ, matre verò sorore Ottonis Regis Angliæ. Richardi patrem Lotharij nomen habuisse, Irenicus affirmat.

Alij adhuc liberalius, Richardum Sueviæ Regem creant: inter quos Arnoldus VVion.

Alij cautius incedunt; ex quorum numero Sylvanus Razius in Annotationibus ad vitas Sanctorum Hetruriæ, qui Richardum potentissimi cuiusdam equitis Germani, & S ueuorum Capitanei filium facit.

Verùm hæc de Sueviæ Regno vel Ducatu non carent difficultatibus: vidimus enim antea, V Villibaldum, & per consequens, patrem eius, fuisse Anglum seu Saxonem, seu compositè, Anglosaxonem: non ergo Sueuus fuit. Quanquam responderi potest, Richardum non appellari Sueuum, sed ducem vel Regem Sueviæ, non autem necesse esse, vt qui Dux vel Rex Sueviæ salutatur, ipse itidem Sueuus sit; potest enim quis sub ditione sua tenere regionem, ex qua ipse originem non ducat. Nam & hodie Magnæ Britanniæ Rex Iacobus præest Angliæ & Hiberniæ, cum ipse nec sit Anglus, nec Hibernus, sed Scotus.

II. Nullum ex monumentis, quod millesimum Saluatoris annum antecedar, Sueuici huius Ducatus mentionem facit: Richardino igitur sæculo recetior videtur: nam præter Philippum, qui & ipse post millesimum Christi annum vixit, omnes alij scriptores

pro

pro Sueuico Ducatu allati, nuperi sunt, ne dicam, nuperrimi.

III. Vbi hic Ducatus vel Regnum Richardi in Sueuia? In qua Sueuiæ ciuitate, oppido, vel pago? nam quod insignia Ducum Sueuiæ, quæ cognationem, habent cum insignibus Regum Angliæ, huc trahunt; friuolum planè est; vt ipse etiam VVionius rectè animaduertit: quis enim nobis demonstrabit tres illos Leones nigros iubatos, & corona regali cinctos in campo aureo (qui Ducibus Sueuiæ stemma præbent) à Richardo proficisci, vel temporibus Richardi Principibus Sueuorum in vsu fuisse? Accedit quod Anglicanum digma vel stemma à Sueuico dissidet; Anglicani enim stemmatis sunt Leones aurei in planitie rubra, cuius primus Auctor fuisse fertur VVilhelmus *Conquestor*, qui ex Duce Nortmannorum Rex Angliæ factus, huiusmodi symbolum sibi formauit.

Jam verò quis commodus & patiens VVionem ferat; qui fingit, Richardum redio turbati paterni Regni Anglia excessisse, Sueuorumq; Regem creatum, aliquot annis Regnum Sueuicum egregiè administrasse, donec tandem cœlestium rerum desiderio inflammatus, Regno vxori VVunnæ seu Bonnæ relicto, & VValpurga filia S. Bonifacio commendata, peregrinationem Romam, & ad alia loca sancta cum filiis VVillibaldo & VVunibaldo suscepit. Quæ omnia inania commenta sunt. Nam Richardus iam peregrinus & spontaneus exul ex Anglia venit cum filiis, non ex Sueuia; nec ex Sueuiæ regno VValpurgis; sed ex Anglia euocata est, cum pro instituendis & gubernandis sanctimonialium Monasteriis S. Bonifacius & fratres eius operâ illius egerent, vt planum fit

ex monumentis de SS. Willbaldo, Wunibaldo & Walpurga Tomo I V. Antiquæ Lætionis Canisij & ex nostro itidem Philippo.

IV. Prorsus iucundum est; quod Irenicus patrem Richardi etiam *baptizare*, ut vulgo loquimur, audet, indito ei Lotharij nomine; nullo prorsus ex veterum choro teste (tamen si ad stipulatoré habet Arnoldum Wionium) cum apud antiquiores, qui de rebus sancti Willibaldi, S. Wunibaldi & S. Walpurgis aliquid memoriæ mandarunt, ne ipsum quidem Richardi nomen reperiatur, ut fateberis, si Hodœporicum S. Willibaldi, & Commentarium de S. Wunibaldo, & Wolfardi libros de S. Walpurga evoluere velis. Non inficior, inueniri Richardi nomen in altero Itinerario, cuius Auctor non Monialis, sed vir fuit; & suspicatur. D. Canisius scriptum ab aliquo ex Diaconis, qui ex ore ipsius Willibaldi peregrinationem illam exceperit: Mihi autem planè cōtraria suspicio ob hoc ipsum iniicitur; cum enim in Hodœporico sanctimonialis Heidenheimensis nomen Richardi sileatur, credibile est Auctore, qui idē Hodœporicū breuius & paulò limatius scripsit, Richardi nomen ex cōmuni persuasione & existimatione addidisse, atque ad eò posterioribus seculis vixisse. Ne quid tamen dissimulem, reperitur nomen Richardi in commentario Adelberti Abbatis Heidenheimensis, qui sub Eugenio III. Pontif. Max. vixit; cuius commentarij priorem partem, quæ de Diuis Eystetten sibus est, ait se confecisse, ex scriptis S. Walpurgæ Virginis. Et quamuis Richardi nomen, in antiquis monumentis, & in vetustis rerum Anglicanarum scriptoribus nō compareret, sicuti nec nomen Bonnæ seu Wunnæ compareret; nihilominus non  
vulga-

vulgaris impudentiæ foret, inficiari hæc nomina indita fuisse patri & matri SS. Willibaldi & Wunibaldi, quia id ex perpetua traditione liquet, quemadmodum & ex Epitaphio S. Richardi, cuius non adeò est contemnenda auctoritas; qualis traditio Irenico minimè pro suo Lothario suppetit.

Obiicies, seculis sexcentesimo & septingentesimo Richardi nomen inusitatum fuisse, & demum posteriore æuo vsurpari cœptum, maximè ab Anglis. Respondeo, inusitatum fuisse vnde probabitur? Non extare in monumentis editis vtriusque illius seculi; id fortè concedi potest. Sed quis sibi persuadeat omnia nomina viris tunc imponi solita, publicis monumentis prodita esse? tametsi iam sub Ludouico Pio Imperatore lib. 2. legū Francicarum c. 25. & apud Auctorem, qui res gestas eiusdem Ludouici literis mandauit, habeas Richardum comitem. Et quantum distat *Richarius* à *Richardo*? Hoc tamen nomen iam ante Carolum Magnum receptum fuisse, docet vita S. Richardij, iussu Caroli Magni ab Albino Flacco conscripta, quam Tomo II. Suriij inuenies.

Verum ne opinioni huic de Sueuia omnem verisimilitudinem abiudicare videamur, probabile mihi fit, aliquos ex maioribus Richardi, priusquam cum popularibus suis Anglis, Saxonibus, Vitisque seu Iutis in Britanniam migrarent, Sueuorum Duces fuisse, & inde titulum ad posteros, nominatim ad Richardum descendisse. Cùm autem varij Sueui fuerint, & sedibus valdè discreti, vt *Sueui Lōgobardi*, *Sueui Semnones*, & apud Ptolemæum in Cosmographia, & apud Tacitum in lib. de moribus Germanorum, *Sueui Angli*, seu *Αγγλοὶ*, *Angeli*, & plures alij, animus meuseò



inclinat, vt credam, maiores Richardi in Sueuos Anglos seu *Sueuangles* (quos Tacitus absolutè Anglos vocat) imperium tenuisse. Hos mediterraneos facit Ptolemæus; sed rectè dicit Iodochus Willichius in Germaniam Taciti, etiam maritimos Sueuos Anglos constituendos esse; qui inter Iutas, seu Iutlandos veteresque Saxones habitauerint: qui que cum cæteris sedes suas in Britanniam transtulerint: quos Venerabilis Beda lib. 1. hist. Eccles. Anglicanæ cap. 15. Anglorum nomine simpliciter comprehendit; Ait enim, *aduenisse ex Germania in Britanniam aliquos de tribus Germaniæ populis fortioribus*, id est, de Saxonibus, Anglis, Vitis seu Iutis. De Vitarum origine esse Cantuarios, & Vectuarios, de Saxonum stirpe descendere orientales, meridianos & occidentuos Saxones. De Anglis orientales & occidentales Anglos, & totâ Nordhumbro- rum progeniem, vt & gentes Merciorum. Addit Venerabilis Beda regionem Anglorum ex qua in Britanniam concesserunt, positâ inter prouincias Vitarum seu Iutarum & Saxonum, à tempore discessus vsq; ad suam ætatem, mansisse desertam & incolis vacuam.

Ex quibus liquidò apparet, non omnino absentire velloqui illos, qui S. Richardum Sueuum, vel etiam Sueuorum principem appellant, dummodo Sueuorum nomine intelligant Sueuos Anglos seu Anglosueuos, qui vt ex Taciti Germania compertum est, non minima pars Sueuorum erant.

Hinc etiam liquet, quomodo *Breniario* Eystetten- si sua constet veritas. Vocat patrem Richardi *Teutonum*. Rectè: nam & Angli & Saxones, & Anglosaxones, & Sueuagli, & Anglosueui omnes erant Teutonnes seu Germani. Vocat *Ducem Sueniæ*; hoc est, Anglo-  
sueuiæ,

sueuiæ, quia maiores eius, priusquam cum cæteris in Albionem, desertis auitis domiciliis, abirent, Anglo-sueuis iura dederant. Sed ut hæc omnia, quæ de Sueuis & Anglis dicta sunt, dilucidiora fiant; consultum erit inspicere Philippi Cluuerij *Germaniam antiquam*, præcipuè Tabulam, qua Sueuiam, quæ cis Codanum Sinum seu mare Sueuicum fuit, depingit. Cui inspectioni iungatur lectio cap. 27. lib. 3. vbi de Sueuicis gentibus ex Germania Taciti disputat.

## CAPVT V.

*Utrum Richardus fuerit Rex Anglia. Proponuntur argumenta negantia.*

**S**æpius apud memetipsum hæsitauit cogitans, inquit Arnoldus Wionius, quis esset iste S. Richardus Anglia Rex, pater SS. Willibaldi & Wunebaldi. Nullum huius nominis, maximè illo tempore, anno videlicet DCC. & quod excurrit, in Anglia regnasse, nec talem in Catalogis Britannia Regulorum reperiri, ex historicis manifestum est. Non tu solus es, ô Arnolde, quem hic serupulus torqueat; Me quoque & alios iam dudum exercet.

Nam I. nulli ex antiquis, qui res SS. Willibaldi, Wunebaldi & Walpurgis literis consignarunt, vllam de regno à Richardo aut administrato, aut postea amore Christi deserto mentionem faciunt; utiq; non tacituri, si Richardus Rex fuisset, cuius exemplum, omni posteritati ad imitationem, vel saltem ad admirationem proponendum erat.

Sed aiunt: *istud humilitatis & Christiana modestiæ causa silentio inuolutum.* Quæ verò hæc humilitas esset,

inuidere posteritatis notitiæ rem tanti momēti, præfertim, postquam is, qui materies scribendi est in fata concessit? Non pauci Regum Angliæ, spreto Regno, & omnibus regis ornamentis ac deliciis insuper habitis, Monasticam vitam amplexi sunt. An id taciti præterierunt Historici? Minimè verò, Diligentissimè omnia annotarunt, & factis tam præclaris velut pretiosissimis gemmis Annales vel historias suas exornarunt; nominatim Beda eiusque continuator, vt alios hoc loco omittam. Simili diligentia in literas retulerunt, si quando filij aut filia Regum, aut ipsæ etiam Regina, mortalibus rebus valedixerunt, seque diuino cultui penitus consecrarunt.

Reliquerat regnum Ceadualla Rex occidentaliū Saxonum, & Romam abierat anno Christi DC. LXXXVIII. Quis Anglicanorum scriptorum factum tam præclarum tacuit? Non venerabilis Beda: Non Henricus Huntindoniensis, non Wilhelmus Malmesburiensis: Non Æthelfridus: Non Matthæus Westmonasteriensis in Floribus. Non Florentius Wiggorniensis in suo Chronico. Anno DCC. V. Coenredus

*Beda li. 5. cap. 7.* (verba Bedæ audis) qui regno Merciorum nobilissimè aliquanto tempore præfuerat, nobilius multò sceptra regni reliquit, nam venit Romam, ibiq; attonsus, Pontificatum habente Constantino, ac Monachus factus ad limina Apostolorum in precibus, ieiuniis, & eleemosynis vsque ad diem permansit ultimum. Venit autem cum illo & filius Sigheri Regis orientaliū Saxonum, vocabulo Offa, iuuenis amantissima ætatis & venustatis, totiq; genti ad tenenda seruandaque regni sceptra exoptatissimus; Qui pari ductus deuotione mentis, reliquit uxorem, agros, cognatos & patriam propter Christum & propter Euangelium, &c. Et ipse ergo, vbi ad loca sancta Romanæ

*Huntind. lib. 4.*

*Wilhel. lib. 1. de*

*gestu Regū An-*

*golorum.*

*Æthelfrid. lib. 2.*

*Chronici cap. 10.*

*Beda lib. 5. c. 20.*

Romam peruenerunt, attonsus, & in Monachico habitu vitam complens, ad visionem beatorum Apostolorum in cælis diu desideratam peruenit. Hæc Beda: similia alij antea nominati Anglicani scriptores.

Etiã Coenredi antecessor in Regno Merciorum & cognatus, Edelred seu Æthelredus monasticum habitum regali purpuræ prætulit, vt & Ina Rex Westsaxonum; quorum, vt & aliorum exemplo permotus Ceolwulfus, Northumbrorum Rex, eadem vestigia sibi premenda & sequenda duxit. Ceolwulf, cum sæpè uenti Bedæ colloqueretur, inquit Henricus Huntindoniensis lib: 4. & sæpè ante mortem eius, & post mortem historiam eius ad se scriptam oculis adhiberet, cœpit diligenter Regum singulorum facta, & finem secum discutere, uidit q̄ luce clarius regna terrena & res humanas cum labore perquiri, cū timore possideri, cum dolore amitti, & quia quibusdam minus callidis, vel etate teneris uidentibus temporalia pulchra & delectabilia, cū audierint predicari ea deserenda, & temnēda uidetur friuolum & contra rationem, quia nondum perceperunt, quomodo mordeant mundi diuitie, quomodo ad nihilum deueniant, & fructum tandem nullum, nisi seram penitudinem generent. Horum nihil regem callentem & expertum impediēbat. Senserat enim in seipso regnum sibi cum labore fuisse perquisitum, cum timore possessum: noluit uerò cum dolore amittere. Sponte igitur diuitiarum non seruus, sed dominus, quasi magnus uiles abiēcit. Maxime autem accenderat eum, quòd cum pueri & mulieres, uulgus q̄, uel etiam ditiores profilirent ad eum conspiciendum, & eius beatitudinem mirandam, ipse horribilibus curis necis & proditionis, & multimode calamitatis intus cruciabatur, & animo & corpore decoquebatur; cum q̄ alij iudicarent eum beatissimum, ipse, qui solus animi sui secreta nouerat, iudicabat se miser-

miserrimum. Cum ergo paruo spatio, id est, octo annis regnasset, per maximum visum est ei, & valde anxiatu est, quod tanto tempore vitam suam amiserit, curis vanis & disciplinis fragilibus deditam; reliquum autem saltem vita sua non erronea stultitia, sed sapientia & utilitati propria dicere certauit; exemplum quod assumens ex historia beati viri predicta, sex reges fortissimos, vir verè fortissimus, profecutus est; scilicet Edelredum regem **Merce** & Cenredum successorem eius, nec non Ceduuallam regem **Wessexe** & Ine successorem eius, sed & Sigebertum regem **Estangle** qui Monachus effectus est, quem postea **Peada** occidit, & **Sebbi** regem **Essex** qui Monachus effectus, diem iucundum mortis sua prauidit, vidit & gauisus est. Isti non deuorarunt substantias suas cum meretricibus, sed euntes cum dolore semina sua seminauerunt, ut venientes veniant, cum exultatione suos Deo manipulos afferentes. Compleuit ergo Ceoluulfus hebdomadam regum perfectorum, & habitu monachali suscepto, capiti eius corona de lapide pretioso imposita est à Domino. Hæc Huntindoniensis.

Ecce, quàm accuratè memorant Historici isti, si quis Regum in Britannia, Dei amore, & suæ salutis desiderio succensus, regnum terrestre cum pignore Regni cœlestis, hoc est, cum Monastica professione commutauit. Cùm ergo circa illa ipsa tempora, quibus isti Reges rebus mortalibus valedixerunt, feratur Richardus quoque Regno spreto, in peregrinas regiones abiisse; qui, quæso fit, quòd rei tam memorabilis, & ad exemplum tam idoneæ, nemo Anglicanorum veterum historiographorum meminit? Quæ hæc tanta obliuio, vel potius supina oscitantia?

Secundo, Marcellinus quisquis ille fuit, in S. Sui-  
berti vita non dissimulat Adalbertum Leuitam, fuisse

se filium Regis Deiotum, & amore Christi regale patrimonium spreuisse. Quomodo hoc dissimulasset in Willibaldo & Wunibaldo, si Regem Anglię patrem habuissent? Erant certè duo isti in eodem sodalitiõ & comitatu, in quo erat Adelbertus, & ipse Marcellinus, vt proinde familiam Willibaldi & Wunibaldi æquè cognitam habuerit ac stirpem Adelberti.

Tertiõ cum præter geminum Regnum Pictorum & Scotorum in septentrionali Albionis parte, septem Regna ab Anglis seu Saxonibus constituta sint; vt Regnum Cantia, Regnum Australium Saxonum, Regnum orientalium Anglorum, Regnum occidentalium Saxonum, Regnum orientalium Saxonum, Regnum Northumbria, (sub quo Deira & Bernicia; vnde aliquando legas: *Regnum Deirorum, Regnum Berniciorum*) & Regnum Merciorum, quæro cuiusnam ex his Regnis Richardus Rex fuerit? Quodcunque nominaueris, statim ibimus ad Historicos & Chronologos Anglicanos, præsertim ad Malmesburiensem, Huntingdoniensem, & continuatorem Florentij Wigorniensis; & Catalogos Regum singulorum regnorum percurreremus. Si alicubi Richardum inueniemus, nõ grauatè Regem salutabimus. Nec satis est dicere, fuisse Regem Angliæ: nam cum illis temporibus, de quibus disceptamus, Anglia in varia regna diuisa fuerit; vt certo certius constat, haud satis est affirmare, fuisse Regem Angliæ, sed ostendendum est, cuius Regni Anglicani, vel cuius partis in Anglia regale sceptrum gesserit. Nec est, quod quis ad septentrionalem Britannia partem, hoc est, ad Scotos & Pictos nos ablegat: nam Richardus non fuit de Scotorum aut Pictorum, sed de Saxonum genere, vt supra vidimus.

Z

Dein-

Deirorum

Deinde, ut omnes illius ætatis Scoticos & Picticos reges, ducibus antiquis historicis percurramus, nullus Richardus sese in conspectum nostrum dabit.

Aliqui, ut Arnoldus Wion, lib. 4. *Ligni vite* aiunt, Richardo fuisse Parentem Lotharium, quem aliqui *Lotheri* appellant, qui fuit Rex Cantuariorum, occisus in pugna Australium Saxonum anno Redemptoris D C. LXXXVI. 8. Idus Febr. quos contra eum Eadricus filius Egberti aggregauerat, ut ait Huntindoniensis lib. 4. & Malmesburiensis lib. 1. Sed quo veteri Auctore hoc adstruitur?

Deinde liquidò compertum est, quem Lotharius successorem habuerit: successit enim Eadricus hostis perpetuus Lotharij, quamuis eius ex fratre Egberto nepos esset: qui Eadricus regnum Cantix sequi annum tenuit, mortuus anno D C. LXXXVII. ut ait Matthæus Westmonasteriensis; in cuius locum per sexennium subierunt Nidred & Wibbehard, qui duo cum Eadrico *extranei à regio sanguine* dicuntur à Malmesburiensi, & Huntindoniensi. Sed quomodo *extraneus à stirpe regia Cantuaritarum* Eadricus, qui Lothario successit, si fuit filius Egberti fratris Lotharij, qui Egbertum in regno antecessit? Nam de Nidred & Wibbehard non laboro; ad quos solos ista, ut ita loquar, *extraneitas* pertinere videtur, cum & Malmesburiensis, dicat, *per sexennium circiter à regia successione claudicatum esse*; per illud scilicet sexennium, quo duo illi Cantix regnum occupabant: Et septimo demum anno ad regiam lineam reditum esse, Withredo filio Egberti ad regni solium euecto. Si ergo Withredus fuit de regio sanguine, necesse est de eodem fuisse Eadricum, cum vterque fuerit filius Egberti, eius, qui

in regno Lotharium antecesserat. Verùm vteunque ista sese habeant, nullus hic vsquam conspicitur Richardus Rex Cantuariorum, successor & filius Lotharij: Vnde ergo recentiores ista hauserunt?

Quidam, & inter hos etiam noster Philippus, his argumentis pressi, aliò confugiunt, videlicet Richardum successisse Offæ seu Offoni auunculo suo sine liberis defuncto. Sed hæc minus adhuc substant: aut enim sermo est de Offa celeberrimo illo, & fortissimo rege Merciorum, qui XXXIX. annis regnum inuictâ dextera administravit: at hoc dici nequit; quia Offæ successit filius eius Egferd, huic Cenvvlf, huic Geovvlf, & aliis alij, vt videre est apud scriptores sæpius iam laudatos: aut sermo est de Offa orientalium Saxonum rege; neque hoc rectè affirmatur: quia Offæ, postquam rebus mortalibus, sumpto Monastico habitu, valedixit, successit Selredus Sigeberti Bonifilius, qui regni gubernacula XXXIIIX. annis moderatus est, testibus Matthæo Florilego, & Malmesburiensi, & aliis prisca rerum Anglicarum scriptoribus, regumque Catalogis & indiculis. Nec Offa iste in regno sine liberis defunctus est, vt vult ista opinio, cum sponsam & regnum voluntariè diuino seruitio & Monastica vitæ posthabuerit.

Denique euolue sursum deorsum omnes Historicos antiquos, & Catalogos regnorum & regum Hæptarchiæ Britannicæ, qui accuratè conscripti existant ad calcem Continuatoris Wigorniensis; euolue, inquam, eo tempore, quo Richardum vixisse, & regnasse oportuit, nimirum ab anno Domini DC.L. vsq; ad DCC.XX. veletiam XXV. (vt vitam Richardi ad septuaginta quinque annos proferamus) nullus occur-



ret in vlllo Angliæ Regno Richardus, cum tamen historicorum Anglicanorum in Regnorum & Regum successionebus annotandis, summa sit diligentia & accuratio.

Ipsè etiam Illustrissimus Baronius, cum Tom. IX. ad annum Domini DCC. L. Epitaphium S. Richardi recitasset, & Richardum Regem salutasset, visis postea monumentis à Canisio Tomo IV. Antiq. Lect. publicatis, calculum reduxit, & sententiam mutauit. *Antiquiora testimonia, inquit, & ea ipsa, quæ ab eorum consanguinea scripta habentur, nunquam Richardum nominasse inuenies Anglorum Regem, sed Anglorum nobilem & prædiuitem.* Et addit; Philippum Episcopum Eystettensem, fuisse primum, quod quidem sibi constet, in Vita S. Walpurgis, qui Richardum nominauerit *Regem*, Sed non est primus, quia præcessit Adelbertus de quo postea.

Hæc sunt quæ contra Regnum S. Richardi disputari posse video. Sed audiatur etiam altera pars. Nondum enim sententiæ pronuntiandæ tempus est. Prius tamen, quam alteri parti aures & animum attentum commodemus, præterire nequeo, quod his hunc in modum scriptis, legi in commentario Francisci Guilimanni, de Episcopis Argentoratensibus in *S. Amando*, primo Episcopo. Est in Alsacia tribus supra Argentoratū miliaribus Monasterium primitus *Offonis cella*, postmodum *Schuttera* appellatum. Non procul inde vel est, vel fuit *Offonis Villare* seu *villa*, & *Offonisburgum*, *Offenburg*. Hæc loca hanc appellationem accepisse ab Offone Rege Angliæ, qui in Alsatiam venerit, ibique vitam Monasticam numerofo sociorum cœtu coluerit, multis probare contendit apud Guilli-

mannum Paulus Volcius Abbas Hagonis Curia. Si quæras, cuius Regni Offo iste Rex fuerit, Regnum non definitur; illud generatim asseritur, multa tunc in Anglia fuisse Regna & Reges; Offonem hunc Romanam nunquam peruenisse; sed semper in Alsacia permanisse. Ex eius posteritate descēdere S. Richardum, S. Willibaldum, S. Wunibaldum, & S. Walpurgam. Hoc nomen ab Offone locis prædictis inhæsisse, vsq; ad tempora S. Henrici Imperatoris: id ex diplomatis, vetustisq; instrumentis planum fieri. Offonem hunc finem viuendi fecisse circa finem vite S. Gregorij Magni Anglorum Apostoli, qui obiit anno Domini DC. V.

Verùm, vt cætera omnia, quæ affirmantur, rectè se se habeant, illud tamen de Regno non subsistit: in promptu enim est quærerere, cuius Regni Offo iste Rex fuerit. Accuratissimè à scriptoribus Anglicanis contexti sunt indices Regum, qui in Albione, vel ante S. Gregorium Magnum, vel sub eius Pontificatu regnarunt. Nullus huius generis Offo apparet. Qua de caussa? Sed non repetam, quæ iam dicta sunt. Accommodentur, quæ de Regno S. Richardi disputauimus, quia æquè huc quadrant, ac illuc.

## CAPVT VI.

*S. Richardum fuisse Regem Angliæ.*

**R**æterum Richardum Regem Angliæ fuisse, multis argumentis demonstrari potest. Primum est, constans, vetustissima, & cuius originem frustra quæras; Ecclesiæ Eystettensis traditio. Quæ sanè magni pendii debet præsertim ab Historico.

L 3      cuius

cuius nō tantū est aduertere, quid veteres scriptum reliquerint, sed & quid absq; scripto tradiderint. Cuius traditionis neglectus viros quoque doctos à recto tramite nonnunquam abripuit: Eius rei vnum vel alterum exemplum adferam. Antiquissima omnium Ecclesiarum Hispanicarum traditio est, S. Iacobum, Apostolum, filium Zebedæi, Hispaniam, cum videret, adiisse, & in ea Evangelicæ doctrinæ sementem sparsisse. Hoc qua ratione annis S. Iacobi viuētis consonaret, cum inito calculo, viri docti, satis dispicere nequirent, negarunt, S. Iacobum vnquam, cum in his terris mortalem vitam ageret, pedem in Hispaniam intulisse. Quæ inficiatio adeo auersis auribus & mentibus ab Hispanis accepta est, vt non tantū Doctores in Scholis, & Ecclesiastæ in Templis, sed & omnis generis scriptores, qua Latinis, qua Hispanicis Apologiis obuiam eundum, & vetustissimam traditionem summis viribus defendēdam existimarint, vitam potius, quàm hoc tantum decus amittere parati.

Pari modo veterrima Colonienfis Ecclesiæ in Vbiis traditio est, S. Vrsulam cum suo tot millium Virginum numeroso sodalicio, sanguinem non alibi, quàm Colonix Agrippinæ pro Christiana religione fudisse. In hac traditione cum quidam viri eruditionis laude in primis præstantes & florentes, nodos, vt sibi persuadebant, inenodabiles reperissent, à prisca traditione recedere, & cum alia veteri traditioni contraria tradere; tum etiam nouam Coloniam ad nescio quod Batauici Oceani litus exstruere ausi sunt. Quæ innouatio, piorum & doctorum animos ita percussit, vt statim prodirent, qui communem & ab omnibus receptam traditionem ab inuasoribus acriter vindic-

vindicarent, & Colonia Vbiorum, tot Martyrum sacro cruore purpuratæ ac nobilitatæ, auitam gloriam integram illasamque præstarent.

Quæ duo ætatis nostræ exempla ideo protulerim, vt planum fiat, quanta sit traditionum, quæ in Ecclesiis vigent, vis, quanta auctoritas, quantumque pondus. Quocirca neque Eystettenfis Ecclesiæ de Rege & Regno Richardi traditio temerè conuellenda est; licet, si quis improbius instet, definitè monstrari nequeat, cuius Regni in Anglia scepra tenuerit Richardus. Quàm enim facilè fieri potuit, vt in tanta rerum perturbatione, quanta erat cum regnorum illorum, varietas & multiplicitas in Britannia stare, à scriptoribus aliqui præterirentur, anniq; quibus regnarunt, aliis transcriberentur. Quàm autem inter hæc regna pax nulla, quiesque & tranquillitas nulla fuerit, norunt, qui vel à primo limine Anglicanos Historicos degustarunt; nec finis grauissimorum bellorum fuit, donec minoribus accisis, commune omnium imperium ad vnius arbitrium recidit. Adde Historicos in enumeranda Regum successione non semper examissim conuenire; aliis hunc, aliis alium nominantibus vel omittebantibus. At satis de prima probatione.

Secundò idem Richardi Regnum adstruit communis omnium in Diocesi Eystettenfi persuasio, quæ infantibus cum materno quodammodo lacte insitilatur, ex quibus si sciscitare; quid qualisq; Richardus, Regem fuisse reponent.

Tertiò, eidem veritati ad stipulantur imagines, picturæ, sculpturæ, scæpturæ, cælaturæ; quæ in templis & altaribus, & extrà itidem, Richardum vna cum scæptro & corona regia representant. Huc succedunt

oritur

Missæ.

*Missalia, Breviaria, &*, vt barbarè appellant, *scamalia*, hymni, odæ, cantica, tam prorsâ, quàm versa oratione: quæ omnia Richardum, tanquam Angliæ Regem, decantant.

Quartò, huc refer vitam & Epitaphium Richardi apud Surium Tomo I. vbi Rex disertè prædicatur. Neque magnus Ecclesiasticæ Historiæ instaurator Baronius, reperit quod desideraret, vel culparet: imò quidquid in Surio reperit, id Annali suo nono, anno Redemptoris D C C. L. intexit.

Quintò, non desunt Auctores, qui Regnum Richardi tueantur, Inprimis Adelbertus Abbas Heidenheimensis, qui sub Eugenio III. Pontif. Max. circa annum Domini M. C. XLVI. floruit; is comætarium de restituto Monachis Monasterio Heidenheimensi scripsit, quem libro secundo Observationum inferuimus: Prius quàm rem ipsam aggrediatur, variâ præmittit de rebus gestis S. Richardi, S. Willibaldi, & S. Wunibaldi, id quæ, vt non semel testatur, ex scriptis S. Walpurgæ, quibus à S. Walpurga doceriat, quomodo Richardus Rex Anglorum, Willibaldus itidem & Wunibaldus regnum & patriam deseruerint, &c. Si S. Walpurga nominat patrem suum Richardum, *Regem Anglorum*, nullis amplius testibus indigebimus, Res confecta erit, illi quæ omnes prostrati iacebunt, qui Regnum S. Richardi oppugnant. Utinam Adelbertus distiñctius nobis explicasset, quæ nam sint illa scripta S. Walpurgis, Num Hodæporicon & vita Wunibaldina, quæ exstant Tomo IV. Antiq. Lect. an aliqua alia, quæ vel perierunt vel alicubi adhuc delitescunt: nam in Hodæporico & Vita Wunibaldina nulla est mentio de regno Richardi. Vt eunq; sit, saltem hoc

hoc constat, S. Richardum ante quingentos annos, iudicio Adelberti, fuisse Regem Anglorum.

Adelbertum sequitur Medibardus, quem nunc primùm publicamus; qui quæ Wolffardus Hasenricanus soluta oratione de miraculis S. Walpurgis scripsit, rhythmis cecinit; vbi de S. Walpurga: *Filia Regis erat, sed egenam se faciebat.* Et si quidem Medibardus iste vixit ætate Wolffardi; antiquus vtiq; testis est, quippe, qui millesimum Christi annum antecesserit. Sed non est certum, an Wolffardo sit synchronus. Imò non esse coætaneum satis ipse testatur, cum sub finem Rhythmorum ait, se ea miracula enumerasse; quæ patrum diligentia in literas retulerit. Nec tamen suis quoq; temporibus destitisse Deum per sanctam Virginem miracula edere. Ad rem.

Prædictis adiunge Auctorem Epitaphij Wunibaldini, quod olim legebatur Heidenheimij, alibi à nobis recitatum. Adde alios sententiæ huius suffragatores Philippum nostrum, Nauelerum, Trithemium, Arnoldum Wionem, Chronicon Noripbergense, & quod omnibus his antestat, Martyrologium Romanum, quibus adiunge, si lubet, Nouatores, Bruselium in Catalogo Episcoporum Eystettensium, & Centuriatores Cent. VIII. cap. 10. quos opponas licet duræ fronti Luce Osiandri, qui in Epitome Ecclesiasticæ Historiæ Cent. VIII. lib. 2. cap. 4. anno Christi D. C. C. XL. non veretur scribere, *Pontificios hoc, quidquid est de Regno & regia stirpe Richardi, excogitasse, ut dogmatibus suis auctoritatem conciliarent.* Scilicet nullus exstitit in Anglia, qui amore Christi & cœli sceptrum regalia contempserit, seque regno abdicarit, de quo id certo certius compertum sit, ut proinde Pontificij,

a                      inopiâ

inopiã talium exemplorum, necesse habuerint Richardo Regnum ædificare, ædificatumque iterum, quamuis volenti, adimere. Vanissime nugator, audenter dico; nullum in orbe Christiano regnum tot vidit Reges, sponte sua relicto regno, ad vexillum Cruciseuolantes, quot vidit Anglia, quorum nonnullos capite superiore iam enumerauimus. Fuit ergo Richardus Angliæ Rex, etiam sceptro, officio & administratione, & cum Angliam nomino, ne utquam totam intelligo: liquidò enim constat, eo æuo, quo Richardus vixit, Angliam adhuc in plura regna tributam fuisse: neque vllus dicebatur absolute Rex Angliæ, vel Anglorum; sed Eastangliæ, hoc est, orientalium Anglorum Rex. *Northumbria Rex. Mercia Rex;* & necdum toti Insulæ Angliæ nomen erat indicum; de quo plura suo loco.

Quod si quæ hucusq; disputauimus alicui minus arrident; is non ideo iustã causã habet, cur Richardum Angliæ Regem fuisse abnuat: superest enim alia tituli & honoris huius defendendi ratio: Rex enim fuerit, Regisq; nomen tulerit, quòd ex regio sanguine & stemmate progeneratus esset, nam cum vno eodemque tempore atque adeo illo etiam, quo Richardus ex Angliã excessit, tot Reges Britanniam tenuerint, mirum non est, plures exstitisse, qui regio genere claruerint. Si quis tamen ex me sciscitetur, cuiusnam Regis Anglicani filius fuerit, vel ex quo sanguine regio originem traxerit; aut ex sanguine Cantiorum, nam Anglorum orientalium, num Saxonum, orientalium, vel occidentalium, num Merciorum, num aliorum; ingenuè fatebor, mihi id non liquere: Et inclinarem in sententiam Wionis, qui *Lotharium,*  
Regem

Regem Cantuariorum, Richardi nostri parentem, facit; inclinatur, inquam, si cætera cohærent, & subsisterent: vult enim Richardum discessisse ex Britannia statim post mortem Lotharij, quæ in annum Domini DC. LXXXVI. incidit, ut supra vidimus, quod videret Regnum Paternum ab Eadrico & ab aliis turbari. Oportet ergo ut dicat, S. Richardum ante annum DCC. Angliam reliquisse, & quidem satis diu, cum turbæ illæ post octennium demùm consopitæ fuerint, regno ad Withredum filium Egberri delato, qui XXXIV. annis pacificè illud tenuit; ut & postea filij eius non paucò temporis intervallo. Sed hæc veritate destituuntur: Plerique enim scribunt S. Wunibaldum natum esse anno DCC. & S. Willibaldum anno DCC. IV. At ex historia & vita utriusq; certò exploratum habetur eos natos esse in Britannia. Quomodo igitur Pater eorum Richardus Angliam iam pridem deseruerat? Nec cohæret Wionis narratio cum illis, quæ memoriæ prodita sunt de Richardo precibus & cohortationibus filiorum ad peregrinationem suscipiendam inducto. Nec turbæ illæ ab Eadrico, & postea à Ceadualia & Molone in Cantuariensi regno excitatæ diu durarunt; sed instar ingruentis cuiusdam procellæ breui subsederunt, reducto post nubila Phœbo. Neq; qui in Britannia degebant, huiusmodi motuum insolentes erant; cum in illa Insula nil fuerit vitiosius, quàm ut Rex in Regem insurgeret, & proximus quidem in proximum. Hinc cum veterem Historiam Anglicanam legimus, nihil frequentius quàm bella & horrida arma reperimus.

Dico igitur, Richardum regio Anglorum sanguine cretum esse. Sed quo, quis in tanta antiquitatis caligine




lignè definitè definiat, silentibus cunctis veterum monumentis? Regium tamen stemma & nomen vindicat illi, illa tam constans de Regno Angliæ traditio & persuasio: & hodierno etiam more, illos appellamus Duces, Marchiones, Comites, qui ex talium præcipua genus ducunt, licet ipsi nullas, quas administræt, provincias aut Ducatus, aut Marchionatus obtineant; sic quoque Regis filium, nepotem, vel absolutè, regia stirpe editum, nihil vetat Regem nuncupare, quamvis ipse Regni habenas non gubernauerit; ita ut titulus sit regis stirpis, non regni administrati; quemadmodum hoc etiam ævo multi vocantur Duces Bauariæ, Saxonæ, Palatini Rheni, &c. ea solùm de causa, quia ex his familiis originem suam trahunt; non quòd Bauariæ, Saxonæ, aut Palatinatui ad Rhenum imperent.

Fateetur etiam Balæus Cent. 2. Willibaldum ex illustribus orientalium & occidentalium Saxonum familiis prognatum esse, cui itidem patriam assignat *Deuoniam*, ut proinde Willibaldus, ex sententia Balæi, *Deuonius* fuerit, popularis *Roberti Turner*i, professoris olim in Collegio Willibaldino Eystettensi disertissimi. Hæc secunda tabula esto, qua quis ex hoc difficultatum Oceano enauiget, si fortè primâ illâ se ad littus euasurum desperet. Idem responsum dandum de Alfatico Offone, cuius antea meminimus; Hinc denique planum euadit, quomodo Rituales libri Ecclesiæ Eystettensis ab omni falsitatis suspitione excusentur, dum Richardum Regem Angliæ & Willibaldum, & Wunibaldum, & S. Walpurgem filios Regis Angliæ fuisse tradunt.

## CAPVT VII.

## De anno natalis S. Willibaldi, S. Wunibaldi, &amp; S. Walpurgæ.

 Mnia incerta sunt; & cæcis tenebris immerfa. Communis persuasio est, Wunibaldum Willibaldo seniore fuisse; & utroque iuniorem Walpurgam. Ex iis autem, quæ Philippus & vetera monumenta de Episcopatu S. Willibaldi tradunt, ducimur aliquo modo ad ipsa incunabula; nam anno Domini DCC. XLV. dicitur à S. Bonifacio Episcopus Eystereensis creatus, ætatis suæ anno XL I. sequitur ergo eum in lucem editum anno virginæ partus DCC. IV. Dicitur mortuus anno salutis DCC. LXX XI. anno ætatis suæ LX XVII. Idem ergo quod antea concludimus, nempe natum esse anno DCC. IV.

S. Wunibaldus mortalitatem expleuisse traditur anno Christi DCC. LX. Ætatis suæ anno LX. Natus est ergo anno Redemptoris DCC. Colligitur idem ex hoc impolito Epigrammate quod olim Heidenheimij, priusquam à Luthero occuparetur, legebatur.

*Hic Wunibaldus, Richardi filius almus,  
Qui regnum Anglorum mox relinquens, hoc Adonachorij  
Claustrum fundavit Benedicti q̄, rigavit  
Nomine, septingento, quinquagesimo q̄, anno,*

cum autem Abbatie Heidenheimensi anno DCC. L. adificata per decennium præfuerit, conficitur, eum decimo à condita Abbatia anno ex vita abuisse, anno scilicet DCC. LX. suæ verò ætatis LX.

In manuscripto codice Monasterij Walpurgini, quod est Eychstadij, quo vita S. Walpurgis continetur, quidam ubi de obitu agitur, ad marginem adscripsit: *obiit anno DCC. LXXVI.* Ergo sexdecim annis post Wunibaldum, & quinquennio ante sanctum Willibaldum.

De anno ætatis & natalis S. Walpurgis nil meminime legere. Philippus in Commentario dicit, Willibaldum fuisse iuniorem Wunibaldo & Walpurga. Senior igitur Willibaldo Walpurgis.

## CAPVT VIII.

*De ingressu S. Willibaldi in Monasterium:  
Et num vetera Monasteria nil aliud  
fuerint, quàm schola literaria.*

**Q**UINTO ætatis anno consecrarunt parentes ex voto puerulum Willibaldum Monasterio Waltheimensi sub Abbate Egilvaldo. Si quæras, quo fine; respondebunt Catholici, ut pietate & doctrina erudiretur eousque, donec maturior factus, Deo in perpetuum ex S. Benedicti norma & disciplina sese obligaret. At Hæretici longè aliud responsum dabunt, nempe Willibaldum eò missum, ut inibi literis & morum honestate informaretur; hisq; probè excultus Reipublicæ postea utilem operam nauaret; nam veterum Monachorum Monasteria nihil aliud fuisse, quàm scholas & publica ingenuarum disciplinarum gymnasia.

Si quis sciscitetur, num omnia antiquorum Monasteria fuerint scholæ: quidam ex heterodoxorum numero adeò effrenes & effrontes sunt, ut id de omnibus

bus

bus vniuersim affirmare videantur, quorum impudentiam refellunt tot millia Monasteria Ægypti, in quibus nullum penitus aliud erat studium, quàm dies noctesque precibus, psalmisq; recitandis vel decantandis impèdere; & statis insuper horis operi manuario vacare, imò ipse Magnus Antonius, tot Monachorum pater & Abbas celebratissimus, analphabetus, & literarum rudis erat. In Oxyrincho ciuitate Thebaidis decem millia Monachorum habitabant, vt testatur is, qui vidit, Ruffinus; apud quos solius pietatis scholæ; nullæ liberalium artium, Philosophiæ, aut Mathematicos, imò nec Theologiæ, quia quilibet illorum sufficere sibi credebatur: *Scire Iesum Christum, & hunc Crucifixum.* Exstât in Patrum vitis & alibi innumera Seniorum Monachorum ad iuniores tam aduenas, quàm inquilinos cohortationes, exstant Regulæ Monasticæ nominatim S. Pachomij & S. Basilij Magni; vbi nullum de studiis literarum studiosè persequendis verbum inuenies. Quis tamen sibi persuadeat, patres illos tam oscitantes fuisse, vt id, quod iudicio deliratorum istorum præcipuum Monachismi erat, in parænesibus & canonibus suis reticerent?

*Ruff. lib. 2. de  
Vitis Patrum  
cap. 5.*

Alij circumspectius stultescunt, præsertim Hospinianus Calvinista in Centone suo de origine Monachatus. *Pleraque Monasteria post Benedicti tempora fuisse scholas, ait, pleraque; non; omnia. Ait, Post tempora Benedicti. Non ergo illa, quæ tempora S. Benedicti antecesserunt. Quo tamen temperamento falsitatem minime effugit; nullum enim Monasterium qua Monasterium, schola seu gymnasium literarium fuit; aliud enim est Monasterium, aliud gymnasium literis dictum. Aliud, gymnasta Monasticus; aliud, gymnasta lite-*

literarius: Ille quarealis, soli Deo vacat, Ille etiam licet  
ris partim discendis, partim docendis, licet non nisi  
amore Dei.

Non displicet Hospiniano vsquequaque politica,  
quam sua in Regula D. Benedictus præscripsit: Et si  
Calvinianus limam adhibere permetteretur, fortassis  
eam regulam edolaret, quæ Sectatores etiam in Cal-  
uini lustris inueniret. Ante omnia autem Calvinisti-  
ca lima Abbati, Priori, Decano, & quidquid huius  
generis est, vxores daret: quia hominem esse solum,  
non est bonum: quod quomodo à Benedicto negle-  
ctum sit, miratur proculdubio Hospinianus, cum al-  
lio qui minutatim quædam longè minutioris momē-  
ti præscribat & definiat, quàm sit istud, quod, si Lu-  
thero eiusque discipulis fides habetur, ex omnibus  
ad humanam vitam necessariis, maximè est necessa-  
rium.

Illud præterea, iudicio Calvinistæ ab eodem Be-  
nedicto culpabiliter sancitum est, vt nō nisi duo pul-  
mentaria fratribus apponantur, indicta à carnibus tu-  
gi abstinentia, vt alia plurima huius generis, limæ, vel  
potius runcinæ in Regula Benedicti egētia si leamus;  
quæ si castigarentur; iam noua ex recocti Canonis  
præscripto Benedictina Monasteria emergere cerne-  
remus, qualia nimirum aliqua sunt ex illis, quæ Hæ-  
resis occupauit, potissimum in ditione Wirtembergi-  
ca; vbi Barbiger Prædicans Abbas cum sua *Prædican-*  
*tissa*, Abbatissa, & numerosa prole, additis aliquot sti-  
pendiariis & scholaribus, conuentum conficiunt, nō  
exclusis tamen *Prouisoribus*, *Padonomis*, *Locatis*, *Cantori-*  
*bus*, & id genus aliis pedancis Magistellis, qui & ipsi  
pro sua quisque parte operam sedulam cum suis *Enis*  
&

& eos in nauant, vt Monasteriis, quæ tenent, noui semper *Conuentuales* succrescant. Qualia Monasteria si S. Benedictus, S. Willibaldus, aut S. Wunibaldus iam aspicerent, an non potius pro speluncis prædonum, quàm pro cultus diuini domiciliis ducerent? Insignita profectò impudentia est, dicere, veterum, maximè post S. Benedicti ætatem, Monasteria, nil nisi scholas fuisse, & quidem tales scholas, quales isti nobis in multis abs se inuasis & direptis Monasteriis representant; de quibus prisci & sancti illi Monachi, ne per somnium quidem vnquam cogitarunt.

Sed rem ipsam accipe; quæ ita habet. Olim Monasteriis præcipuè Benedictinis, adiunctæ erant scholæ: quod nemo negat, in quibus & tenerior ætas ad ætatulæ huic consentaneas literas informabatur; & maturior ad maturiores ac seueriores.

Obseruabatur hîc accuratè, quod à Philone in libro de Agricultura traditum est: *Primum inseram*, inquit, *in puerilis ætatis animas surculos, quorum fructus ipsas enutriet: sunt autem hi: scribendi legendi quæ certæ industria; eorum, quæ apud sapientes Poëtas habentur, diligens scrutatio, geometria, oratoriae facultatis meditatio, & vniuersa liberalis musica: in iuueniles verò ac viriles iam meliores perfectiores quæ inseram, nempe prudentiæ plantam, fortitudinis, temperantiæ, iustitiæ, omnis quæ virtutis. Et in his Monasticis scholis vnusquisque factitabat, quod ab eodem Philone in libro de somniis scribitur: Sumens enim à puerili grammatica has duo prima; scribendi legendi quæ facultatem, à perfectiore poematum notitiæ & antiquitatum memoriam, ab Arithmetica & Geometria certitudinem in iudicio proportionum & ratiocinationum, à musica rhythmos, metra concinna, colores, tonos, melos coniunctum & disjunctum;*

b

etiam;

Etum; à rhetorica inuentionem, elocationem, ordinem, dispositionem, memoriam, pronunciationem; à Philosophia, quidquid in his prætermisum est, & reliqua quibus constat vita hominum, unum opus floridissimum conficit, nimirum eruditionem variam. Præerant scholæ doctissimi quique & probatissimi Monachi, hoc tamen discrimine, saltem aliquibus locis, vt duplices essent scholæ; aliæ internæ, Religiosis erudiendis dicatæ; aliæ externæ, in queis seculares, procerumque & nobilium liberi instituebantur: quam scholarum distinctionem reperies apud Ekerhardum in B. Notkeri vita. Scholæ Monasticæ præfuit olim in Anglia Venerabilis Beda, vt & Albinus Flaccus, qui in Galliam Turonos translatus docendi munus non deseruit; de quo ipse metepist. I. ad Carolum Magnum isthæc. *Ego Flaccus vester secundum exhortationem & bonam voluntatem vestram, aliis per te cta S. Martini sanctarum mella scripturarum ministrare satago: alios vetere disciplinarum mero inebriare studeo: alios grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam. Quosdam stellarum ordine, ceu picto cuiuslibet magnæ domus culmine, illuminare gestio. Plurima plurimis factus, vt plurimos ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad decorum Imperialis regni vestri erudiã, ne sit vacua Dei omnipotentis in me gratia, nec vestra bonitatis largitio inanis.* Hæc Albinus Flaccus. Quem tanti nominis & existimationis virum nec puduit, nec piguit ipsa literarum elementa iuuentuti exponere; non tantum voce in schola, sed & scriptis commentariis generatim quidem de septem Artibus liberalibus, speciatim autem de Grammatica, Rhetorica, Dialectica, quod à Venerabili Beda prius quoque præstitum fuit; sed multò vberius, cum non pauca opuscula, quæ ad Mathesin & Philosophiam spectant,

in gratiam presentium & futurorum discipulorum elucubraverit.

Præclare de hoc Scholarum Monasticarum instituto Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum Domini DCCC. XC. *Erat his temporibus in Monasteriis nostri ordinis hæc cōsuetudo celeberrima, ut schola monachorum in singulis pænè cænobiis haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi: qui non solum in diuinis scripturis docti essent, verum etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometrica, Musica, Rethorica, Poësi, & in cæteris omnibus secularis literaturæ scientiis eruditissimi haberentur. Et his multi non solum in Romanâ linguâ docti erant, sed etiam Hebraica, Græca & Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facile dignoscitur: quanquam vitio scriptorum, qui à primæ institutione præceptorum paulatim degenerare cæperunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam provinciam in suo cænobio Monachum Abbas minimè habuisset, de aliquo alio monasterio petere aptum, non erat verendum. Maximum enim dedecus indicabant, dociles animos monachorum negligere, quos ut moribus & literis bene instituere possent, nullis laboribus, nullis parcebant impensis. Sic namque doctissimus ille Monachus Gemblacensis Sigebertus, multo tempore in cænobio S. Vincentij Metensi, monachorum præceptor, quanquam de alio monasterio, fuit. Ita Strabus Monachus Fuldenis in Hirsfeldia, Notgerus S. Galli in Stabulauis, Albinus Monachus Anglicus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atque alij complures in aliis monasteriis, docendi ad tempus tenuerunt officium, ubi conuersionis primordia non sumpserunt. Hæc autem consuetudo sanctissima primum in Anglia cæpit, ubi venerabilis ille Monachus,*



& Presbyter Beda monachorum institutor factus, multos post se doctissimos reliquit discipulos. Quantum verò hac monachorum institutio ordini nostro profuerit, nemo ignorat, qui veterum historias studiosius reuoluit. Multi enim ex monachis propter scientiam literarum incomparabilem ad episcopatus honorem sublimati fuerunt, qui ordinem nostrum vita & doctrina mirabiliter illustrarunt.

Et ne miremur, Willibaldum tantillum, hoc est, quinquennem Monasticæ vitæ consecratum tantos in literarum studiis progressus fecisse, audi quid idem Trithemius scriptum reliquerit. Succedente tempore summum Monachis erat studium scripturarum, & in omnibus doctrinis bonarum artium amor discendi continuus. Nam qui docti ad conuersionem venerant, iunioribus fratribus præcepta discendi vtiliter ministrabant. Nec minor atque proficiendi desiderium impedire potuit: quæ magistrorum imperioregebatur. Vt verò paucos è pluribus in exemplum demus, Bonifacium & Rabanum Archiepiscopos Moguntinos, Bedam quoque presbyterum intueamur: quorum primus Bonifacius adhuc puer quinque annorum, in Anglia monasterio traditur: ubi in tantum profecit iugi studio scripturarum, ut Doctor & Apostolus Germanorum habeatur, &c. Rabanus etiam, qui eidem Bonifacio in Archiepiscopatu sextus ex ordine successit, in monasterio Fuldensi puer ad conuersionem venit, qui quantum in scripturarum scientia profecerit, infinita penè testantur volumina, quæ composuit. Et non solum in expositione sacrarum literarum, sed etiam in omnibus humanitatis artibus peritissimus fuit, &c. Beda Monachus & Presbyter venerabilis, toto notus in orbe, cum esset annorum septem à parentibus Cænobio traditur: cuius opera in vniuersa Ecclesia laudibus attolluntur. Hi sanctissimi viri, atque in scripturis peritissimi doctores, quidquid de scientia scriptura-

rum

Trithem. lib. 1. de  
Illustribus viris  
Ord. S. Benedicti  
cap. 6.

rum norunt, in monasteriis sub regula ordinis didicerunt. Non mittebantur causa discendi ad exterarum nationes, cum in cœnobiis semper haberent bonarum artium praeceptores. Taceo de cæteris pluribus eruditissimis viris, qui ad monasticam vitam in pueritia venientes, tam doctrina, quam sanctitate gloriosi effulserunt. Amor enim & usus discendi ætatis suppleant defectum.

Idem Abbas eodem loco: Iuniores fratres disciplinis instituebantur scholasticis, prout unicuique eorum conveniebant. Alij in Grammatica, alij in Orthographia; in Rhetorica nonnulli, vel Dialectica, quidam in Musica, Arithmetica, & arte Computistica; alij in Philosophia; atque alij in his iam fundati, ad scripturas introducebantur theoreticas. Nullus in cœnobiis locus dabatur otio, sed suis studiis atque laboribus singuli insistebant. Unde etiam multi sanctissimi doctissimi que in omni scientia scripturarum viri cum magna laude nominis sui & ordinis evaserunt. Hæc Trithemius. Quæ verissima esse fateamur, sed ita, ut simul fateamur, stultam esse hanc consecutionem: Monachi olim literis operam dabant, & in iisdem tam suos, quam alios diligenter instituebant, ergo Monasteria nil aliud erant, nisi schola. Insuper prorsus collectio, quia studia & scholæ tantum appendices quædam & adminicula vitæ monasticæ erant; quis enim abnuat, eruditionem, rerum que tam humanarum quam diuinarum cognitionem ad amorem Dei propriam que perfectionem plurimum conducere?

Quare idem Trithemius de priscis ordinis sui professoribus, simul & literarum cultoribus. *Trith. loc. citi*  
Magna in eis feruebat deuotio: arsit in eorum mentibus regularis disciplina & zelus commendandus, qui eos nunquam sinebat esse otiosos: saluo enim officio diuino, cui omnes deuotè insistebant, de

b 3

reliquo

Cap. 10. 11. 12.

reliquo Monachi studio vacabant scripturarum, quibus non solum illuminabantur intellectu, sed etiam compungebantur affectu. Verum de scholis Monasticis præcipue Fuldenſibus, operæpretium erit legere, quæ noſter Chriſtophorus Brovverus lib. 1. Antiquitatum Fuldenſium eruditè ſcripſit.

Simili ſacuitate perſuadere nobis conantur Sectarij Collegia Clericorum, quæ nunc Cathedrales & Collegiatæ Eccleſiæ vulgò appellantur, nihil aliud fuiſſe, quàm ſcholas. Erratis profani. Scholæ non erant, ſed ſcholas adiunctas habebant, inſtituendis tam Clericis, quàm aliis ad ſcholas illas cõfluentibus, quibus præerat vnus ex canonicorum numero, cui hodieque *Scholafſtici* nomen: quorum Collegiorum primarius finis non erat ſtudiis incumbere, ſed officia diuina peragere, Dei que laudibus decantandis & celebrandis ſtrenuè inſiſtere: ad quem finem certius & feliciter conſequendum, ſcholæ & literarum ſtudia, tanquam commodiſſima adiumenta adſciſcebantur. Quas inter ſcholas non inſimum olim locum tenebat Padebornenſis, de qua Auctor, qui res geſtas ſancti Meinverci Epifcopi Padebornenſis literis mandauit, in eiufdem præſulis vita iſthæc, *ſtudiorum multiplicia ſub eo floruerunt exercitia. Et bonæ indolis iuuenes & pueri ſtrenuè inſtituebantur, norma regulari proficientes haud ſegniter, in clauſtrali diſciplina, omniumque literarum doctrina claruit hic, ſub ipſius Sororio Imado Epifcopo; ſub quo in Padebornenſi Eccleſia, publica floruerunt ſtudia: quando ibi Muſici fuerunt, & Dialectici enituerunt, Rhetorici, clarique Grammatici; quando Magiſtri artium exercebant trinium, quibus omne ſtudium erat circa quadriuium. Vbi Mathematici claruerunt, & Aſtronomici habebantur; Phyſici atque Geome-*

Geometrici, Viguit Horatius magnusq; Virgilius, Crispus & Salustius, & Urbanus Stenius. Ludusq; fuit, omnibus insudare versibus, & dictaminibus, iucundisque cantibus. Quorum in scriptura & pictura inguis instantia, claret multipliciter hodierna experientia, dum studium nobilium clericorum vsu perpenditur vtilium librorum.

Hæc differere placuit contra Nouatores occasione Monasticæ & Scholasticæ vitæ S. Willibaldi, quem ipse Hæreticus Lucas Osiander in Epitome historiæ Ecclesiasticæ fatetur habuisse ingenium ad omnes disciplinas promptum, neq; id Balæus aut Centuriatores diffidentur.

## CAPVT IX.

De tempore, quo S. Villibaldus & S. Vvinnibaldus ex Anglia discesserunt. Et quid de eo tradat Marcellinus in vita S. Suiuiberti.

**M**ira, imò prorsus miracanit nobis Marcellinus, qui res gestas S. Suiuiberti in literas misit. Quæ si vera essent, ruerent multa, quæ nos nunc pro compertis reputamus. Id vt videas, adscribam. Marcellini verba; vbi tamen aliquid de Ekberto dixerò. Erat is sacerdos, miro desiderio Ethnicos ad Christianam religionem traducendi incensus; qui ipse met in Germaniam eius rei gratia proficisci cogitans, cœlesti visione retentus est; ergo cum ipse propositum suum exequi nequiret, tentauit in opus verbi mittere, viros sanctos & industrios, inquit Venerabilis Beda li. 5. hist. Eccl. c. 11. in quibus eximius Vvillibrordus presbyterij gradu & merito præfulgebat. Quorum cum Willibrordo duode-

Marcell. cap. 6.  
Tomo. I. Suiuib.

duodecim fuisse, testatur Beda, tametsi singulorumque nomina non edit; edit autem ea Marcellinus hunc in modum. *Magnificus Praesul S. Ekbertus, sitiens & affectans salutem omnium hominum, & praecipue paganorum, Frisonum, & Saxonum, eò, quod Angli ab eis propagati sunt, non desistens à bona voluntatis inchoato proposito, tentavit adhuc in opus verbi Dei mittere illuc sanctos & industrios, & ad praedicandum verbum vitae strenuos, & idoneos viros, utpote actione & eruditione praecellosos. Elegit ergo & congregavit instar duodecim Apostolorum XII, Apostolicos viros, in fide constantes, ex diuersis monasteriis, ad praedicandum Germanis Catholicam fidem.* \* Fuerunt autem hi missi, *VVillibrordus, Suuibertus, Acca, VVigbertus, VVillibaldus, VVinibaldus, Lebuinus, duo Euualdi, VVerenfridus, & ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc historiam, sicut & S. VVillibrordi, conscripsi.* Omnes praefati Presbyteri & Sacerdotes fuerunt, ac sanctissimus Adelbertus Leuita, filius regis Deyrorum, qui pro Christo dimittens regale patrimonium, cum praedictis electus à S. Egberto, amore Christi peregrinum non recusauit exilium. Et quoniam hi sancti Doctores propagati fuerunt in Anglia de Stirpe Frisonica & Saxonica, ideo conuenienter praedicare potuerunt Euangelium Christi in lingua Germanica. Quorum aliqui postmodum palma martyrij coronati fuerunt. Alij praedicationibus continuis inter barbaros usque ad obitum institerunt: Alij vacantibus Episcopis subrogati fuerunt, ut infra patebit. Igitur praeparatis omnibus, quae tantis viris necessaria videbantur mox praefati duodecim egregij Dominici gregis arietes, salutatis amicis, & parentibus, accepta benedictione tam eximij Archiepiscopi, superna comitante clementia, prospero vento in VViltenburg siue Traiectum aduehuntur, anno scilicet ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimo, Pontificante Romae Apostolico

\* Hic duodecim  
sanctos nume-  
rantur. Sed pau-  
lo post additur,  
duodecim, A-  
delbertus, Leni-  
m.

*folico viro S. Sergio Papa, anno suo tertio.* Hæc Marcellinus, quæ si vera sunt, necesse est, vt multa quæ constitutissima habentur, collabantur, & in tenues auras euanescant; nam si anno Domini D C. X C. ex Anglia abierunt; abierunt ergo Wunibaldus quidem decem; Willibaldus verò quatuordecim annis priusquam nasceretur. Et cum omnes isti excepto vno Adelberto Leuita, iam sacerdotij dignitate initiati fuerint, vt Marcellinus disertè scribit; oportet singulos, saltem vigesimum ætatis annum tunc compleisse. Ex quo rursus infero, S. Wunibaldum, non esse mortuum, anno ætatis suæ L X. sed X C. Nec Willibaldum anno ætatis L X X V I I. sed centesimo septimo: nec creatum esse Episcopū, quando X L I. sed quando L X X I. ætatis annum agebat; imò sequitur S. Willibaldum, quatuordecim annis ante S. Bonifacium ex Anglia, Euangelij promulgandi gratia abiisse, cum S. Bonifacij primus ex Anglia discessus & aduētus in Frisiam contigerit demum anno salutis D C C. I V.

*ex hypothese  
Chronologia  
Gretseriana.  
alias aliter.*

*ex hypothese  
Gretseriana  
Chronologia.*

Neque hic vlla fit mentio Richardi patris simul peregrinantis. Quanquam hoc leuiusculum est; nam si alia non obstarent, responderi posset, hanc fuisse primam Willibaldi & Wunibaldi peregrinationem; postea in patriam reuersos inde patrem secum ad Romanum iter abduxisse; nam & ipse S. Svibertus cum Acca & duobus Ebaldis seu Evvaldis cumq; Marcellino Angliam repetiit, Acca omnino in Anglia remanente, & Lindisfarnensis Ecclesiæ infula decorato. Vt igitur S. Svibertus cum sociis, Acca excepto, ex Anglia in Frisiam rediit, ita Willibaldus quoq; & Wunibaldus patre suo comitati eò redire, vel aliò ire potuerunt.

c

Fortè

Fortè aliquis dicat: Willibaldum & Wunibaldum, de quibus Marcellinus, diuersos esse à nostris. Sed hoc effugium apertè præcludit Marcellinus; nam capite sexto memoràs, quomodo socij S. Willibrordi & sancti Svibertii in varias prouincias, Euangelicæ doctrinæ disseminandæ gratia, concesserint, de Willibaldo & Wunibaldo ita scribit. *S. Willibaldus orientalem Franciam adiens Aureatensis siue Aistattensis Episcopus effectus est. S. Wunibaldus frater eius Heidenheimensis Abbas est ordinatus*, vt proinde nullum dubium relinquatur, Willibaldum & Wunibaldum, de quibus Marcellinus, esse illos ipsos, quos Eistertenses, tanquam præcipuos patronos venerantur.

Obserua autem Balæi Cent. 2. cap. 19. seu oscitaniam, seu malam fidem, qui duodecim istos in Frisiam missos ex Marcellino exscribere & nominare sincerè non potuit: nam Winibaldum transformat in Wenefridum, Adelbertum Regis Deirorum filium, in Ogerum. Plechelmum in super effert & Iulium, quorum nullus est in Catalogo supposititij vel saltem à manu vitiatii & corrupti Marcellini. Ita voco, quia reuera non sincerus, sed Pseudomarcellinus est, dignus cui larua detrahatur, ne in posterum alios, etiam magnos viros, vt Baronium, Bozium, &c. decipiat. Eequidem Ioannes Molanus iam pridem suam de vita Svibertina apud Surium sententiam dixit in Indiculo sanctorum Belgij, verbo, *Egbertus*, his verbis. *Sunt manifestè vitiatæ per cuiusdam imperitiæ gesta S. Suuiber-ti; qui in cœlum abiit anno Redemptoris DCC. XVII.* Rectè Molanus, corrupta sunt gesta illa, si non prorsus suppositicia, & nec primitus quidem à vero Marcellino, discipulo S. Svibertii, sed aliquot sæculis post

ab alio quopiam composita; nam hæc, quæ nunc exstant, & Surius nobis exhibet, ex veri Marcellini officina non prodiiſſe duobus potiffimum argumentis ostendi poteſt; nam primò, Auðor iſte vtitur vocabulis regionum & prouinciarum, quæ non niſi poſt aliquot centenos annos ab obitu S. Svuiberti exſtiterunt, cuius generis ſunt *Hollandia, Brabantia, Flandria, Veſtphalia, Lotharingia, Brunſuicum, Monafterium*, (vrbs *Veſtphalia*) *Anglia*, pro vniuerſa Britannia, *Lecca*, pro Rheno flumine, *Embrica, Dauentria, Tranſſelana*, & ſimilia, de quorum nouitate vide Molanum in Indiculo litera I. verbo, *Ieron*, Iacobum Maierum lib. 10. Annalium Flandriæ, Petrum Bertium in *Cosmographia*, Cambdenũ in *Chorographia Britannia*, *Krantzium* lib. 2. *Saxoniam* capite 31. & lib. 1. *Metropoleos* cap. 5. & lib. 4. cap. 14. Nam quod ad Angliam attinet, certò conſtat, hanc appellationem toti Inſulæ (excepta Scotorum parte) ab Eberto demũ totius Heptarchiæ Monarcha poſt annum DCCC. impositam eſſe, qui ab Anglis potius, quàm ab aliis populis nomẽ petendum cenſuit, quod Angli eſſent numeroſiſſimi, illi enim Northumbriam & Merciam ampliffimas regiones cum orientali Anglia occuparant; Iutarum verò progenies ſolummodo Cantium & Vectam Inſulam; & Saxones Saxoniam orientalem, Australem, & occidentalem poſſidebant, exiguam profeçtò portionem, ſi ad amplas illas Anglorum regiones conferatur, vt ait Cambdenus in ſua *Chorographia*.

Ex his liquet *Historiam* de geſtis S. Svuiberti immeritò præferre nomen veteris illius Marcellini Angli, quando quidem fieri non potuit, vt ipſe in ſua ſcriptione nondum natis prouinciarum & vrbiũ voca-



bulis vteretur. Nec est, quòd quis dicat; hæc à Surio esse; nam SURIUS manum suam ab illo commentario abstinuit, nec stylum mutavit, nec curiosius in Auctorem Auctorisque dicta inquisiuit.

Secundò idē probatur ex multis, quæ Auctor iste asserit, nec tamen conciaunt cum Beda, aut cum aliis antiquioribus & veracioribus historicis Anglicanis; vt quod cap. 1. dicit, Engistum (qui fuit vnus ex primis ducibus Anglosaxonum, quos Britones in subsidium contra Pictos & Scotos aduocarunt) Insulam pro Britannia *Angliam* nominasse, cum hoc nomen aliquot sæculis post, Insulæ inditum fuerit ab Eberto, postquam septem Britannia regna in vnum redegerat, qui promulgato edicto omnibus mandauit, vt post hac terra illa, nomine formato ab Anglis, Anglia nominaretur; eiusque Princeps, Rex Angliæ; non vt antea Rex Merciorum, Rex Cantuariorum, Rex Orientalium Saxonum, &c.

Cap. 14. dicit. S. Winifridum seu Bonifacium iam tempore Concilij Traiectensis à S. Willibrordo & à S. Sviberto anno Saluatoris D C. X C V I I. celebrati, fuisse Ecclesiæ Traiectensis Canonicum, hoc est, Presbyterum, cum Bonifacius anno demum D C C. vt supputat Serarius Notatione L I V. ad vitam S. Bonifacij, sacerdotium susceperit; & postea anno D C C. I V. in Frisiam, Euangelij annunciandi gratia concesserit. Jbidem Wironem *Episcopum Deirorum* facit, qui fuit Episcopus in veteri Scotia seu Hibernia, non Anglus sed Hibernus; & socium eius Plechelmum itidē Scotum seu Hibernum confundit cum Plechelmo Bedæ lib. 5. cap. 19. & 24. & eum vel *Massæ Candidæ*, vel *Candidæ Casæ* Episcopatum gessisse affirmat. Sed nullus

lus in Britannia *Candida Massæ* Episcopatus. *Candida Casæ* agnoscit Beda, vt & alij omnes; Eius loci Episcopuserat Plectelmus Bedæ, non Plechelmus Socius S. Wironis. Sed tempore Concilij Traiectensis celebratione anno D C. XCVII. non potuit Plectelmus esse Episcopus *Candidæ Casæ*, quia Beda loquens de Plectelmo anno orbis redempti DCC. XXXI. ait Episcopatum *Candidæ Casæ* auper fuisse institutum, primo Antistite Plectelmo. Quod nec satis commodè, nec satis verè diceretur, si iam ante XXXIV. annos Episcopatus iste existisset, ei que Plectelmus præfuisset; tot enim anni à Synodo Traiectensi vsque ad annum D C C. XXXI. intercedunt.

Jam verò, quæ cap. 6. narrantur de Missione Svyberti & Willibrordi cum denis aliis sociis in Frisiam, plena sunt erroribus; Dicit enim Auctor, hanc missionem institutam esse auspiciis Eberti Archiepiscopi Eboracensis, cum vt ex Beda lib. 5. cap. 10. & 11. manifestissimè liquet, primus eius auctor fuerit Ebertus Presbyter, natione Anglus, qui in Hibernia monasticam vitam multis annis duxerat, cuius sanctitatem magnificè lociscitatis, vt & lib. 3. cap. 27. Venerabilis Beda deprædicat: qui principio ipsemet cum Sociis in Frisiam, & circumiacentes regiones nauigare statuerat: verùm diuino viso & oraculo domi manere & Huiensibus Monachis instruendis (qui à veritate traditionis Ecclesiasticæ in Paschate celebrando non nihil deflectebant) sese reseruare iussus est. Non tamen conqueuit, sed quod per se efficere non poterat, id per duodecim alios Apostolicos viros transcriptum dare studuit, inter quos eminebat Willibrordus, quem Beda nominatim exprimit; quæ missio seu Euange-

lica legatio accidit, ut quidem Pseudomarcellinus ait, anno Dominicæ Incarnationis D C. X C. Sed ex Beda lib. 5. apertè colligitur eam incidisse in annum Redemptoris D C. X C I I I. Nam cum Beda cap. 9. dixisset, Berechtvvaldum Archiepiscopum fuisse ordinatum anno D C. X C I I I. statim cap. 10. ait; *eo tempore, &c.* pergitque percensere, quid Ecbertus Presbyter circa missionem in Frisiam tentauerit effeceritque. Quo tempore Ecbertus, de quo Pseudomarcellinus necdum ad Archiepiscopatum Eboracensem euectus fuerat, quippe hac dignitate demùm inauguratus anno D C C. X X X I I. ut est in Auctario ad Epitomen. historię Ecclesiasticę Bedę ex editione Commeliniana; nam in aliis quibusdam additamentum hoc non compareret, cumq; ut in eodem Auctario traditur Ecbertus Archiepiscopus supremum diem obierit anno D C C. L X I sequitur eum vel infantem, vel certè adolefcētulum, vel nondum in lucem editum fuisse, quando duodecim illi viri sancti & *industrii*, ut à Beda appellantur, missu Ecberti Presbyteri in Frisiam iraiccerunt. Quare corruunt, quæ Pseudomarcellinus fabulatur de Benedictione, quam ab Archiepiscopo Ecberto duodecim illi Ecclesiastę sub discessum in Frisiam petierint. Corruunt etiam quæ cap. 10. narrat de graui inualetudine Ecberti Archiepiscopi, quando Svuibertus cum Acca Presbytero in Britanniam reuersus est, ut Episcopalem consecrationem susciperet; idque anno Domini D C. X C V. quo tempore Ecbertus Eboracensis vel nondum homo erat, vel adolescentiæ annos vix attigerat.

Nec ex Anglia venerunt duodecim isti prædicatores, sed ex Scotia seu Hibernia, vbi morabatur Ecbertus.

bertus Presbyter; qui ex voto, quo se obstrinxerat, patriam terram, hoc est, Britanniam, quam nunc Angliam vocamus; nunquã reuisit. Et quamuis dubium nõ sit plerõsq; ex duodenario isto numero fuisse Anglos seu Anglosaxonas, ex Scotia tamen seu Hibernia ad messam Euangelicam emissos esse, ne mireris, erã enim in Hibernia *multi nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum*, inquit Beda lib. 3. cap. 27. *qui, relicta Insulã patria, vel diuina lectionis vel continẽtioris vite gratia eò secedebant, quorõ nonnulli statim Monastica vita sese mancipabant, alij circum eundõ per cellas Magistrorõ lectioni operam dare gaudebant.* In horum numero fuit etidem Ecbertus Presbyter, Auctõ missionis in Frisiam, cui etiam in Scotia seu Hibernia, populares, hoc est, Anglosaxones deesse non poterant, quos ad ministerium istud deligeret, quandoquidem Anglosaxonibus Hiberniam petere, & in ea degere solenne erat. Migravit autem in cœlum pius iste Presbyter Ecbertus anno DCC. XXIX. cùm esset annorõ XC. Et quamuis in S. Willibrordi vita, quẽ Alcuino tribuitur. Ecbertus vocetur Episcopus, à Beda tamen hoc nomine nunquam afficitur, cum ex ineunte prope modum ætate in Hibernia vsque ad extremum spiritum sub monastica professione delituerit. Itaque credibile est nomen *Episcopi*, in historiam Willibrordianam per incuriam irrepsisse.

Erroribus insuper accenseamus licet, quod scribit de duobus Ebaldis seu Evvaldis Albo & Nigro, quos annumerat duodecim prædicatorib; ab Ecberto missis. Sed duos istos extra hunc duodenarium censum collocandos esse, planum fit ex Beda. Qui cum lib. 5. cap. 11. dixisset; ab Ecberto Presbytero *duodecim viros sanctos*

*sanctos & industrios in opus verbi destinatos esse, subiungit: Horum secuti exempla, duo quidam Presbyteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro aeterna patria exulauerant, venerunt ad prouinciam antiquorum Saxonum, si fortè aliquos ibidem prædicando Christo acquirere possent; qui postea Martyrium subierunt; de quo copiosè Beda. Ex cuius verbis liquidò apparet, duos istos Ebaldos fratres, non fuisse ex duodenario illo numero; sed exemplo duodenarij illius excitatos, ad Euangelij prædicationem accessisse. Quocirca inter figmenta itidem pono, quod cap. 10. scribit de duobus Evvaldis in Britanniam Svibertum comitatis & inde in Hiberniam profectis, cum promissione, se quæprimum in Germaniam subsecuturos; nam qui religioni non habuit duos istos fratres duodenario Ecbertino accensere, ei neque istud comminisci religio fuit, præsertim cum exploratum sit sanctos istos fratres non diu ab aduentu suo Martyrij laurea insignitos esse.*

Cap. 14. collocat Lebuinum seu Leuinum inter illos, qui post Synodum Traiectensem in varias orbis partes Euangelij disseminandi gratia abierunt, qui martyrio propè Gandauum coronatus est. Sed communi Historicorum & Chronologorū testificatione compertum est S. Leuinum sanguinem pro Christiana religione fudisse anno Saluatoris D C. XXXIII. aut summum D C. LIV. Quomodo igitur Traiectensi Synodo anno D C. XCVII. habitæ interesse potuit?

Cap. 4. repetit commentum de Ecberti Archiepiscopatu Eboracensi, sub quo Svibertum Canonicum fuisse, tam verò consonat, quàm illud, quod ibidem traditur, S. Columbanum, qui postea Abbatiam

Luxo-

Luxouienſem adminiſtrauit, fuiſſe Anglum. Plura errata, & quidem longè plura occurrunt in illa hiſtoria Svibertina, Marcellini ſpecioſo nomine velata: quæ diligenter enotauit, & ad me miſit R. P. Stephanus Vitus Societatis noſtræ Theologus. Sed hæc, quæ attulimus, ſufficiunt, opinor, ad detrahendam fidem iis, quæ de Willibaldo & Wunibaldo commemorat. Si enim errat in mittente, vt reuera errat; ſi errat in loco, vnde miſſio prodijt, vt reuera errat: ſi errat in perſonis miſſis, vt in duobus Ewaldis, & in Leuino ſeu Lebuino, cauſæ nihil video, cur circa Willibaldum & Wunibaldum veridicus exiſtimari debeat, præſertim repugnantibus cunctis antiquis monumentis, & vniuerſa Eccleſiæ Eſtettentiſis à maioribus per longam ſeculorum ſeriem accepta traditione. Nunc ad alia gradum faciamus.

## CAPVT X.

*Quid Othlonus de diſceſſu S. Willibaldi  
& Wunibaldi prodiderit.*

**O**thlonus, qui reſgeſtas S. Bonifacij literis ad poſteritatem tranſmiſit, longè aliter de diſceſſu S. Willibaldi & S. Wunibaldi ex Anglia ſcribit, nimirum à S. Bonifacio in Germanicam meſſem euocatos fuiſſe, vt ſubſidio accurrerent laboranti in vinea Domini, nec tantis laboribus ſufficienti. Accipe verba Othloni. *Prædicans & baptizans ſanctus præſul Bonifacius in Thuringorum & Heſſorum regionibus, perſpexit meſſem quidem eſſe multam ibi, ſed operarios paucos ad copioſam multitudinem credentium inſtruendam. Vnde in provinciam patriam quæ ſuam mittens, exinde tam ſæmi-*

*Othl. cap. 30.  
lib. 1.*

*d nas,*

nam quam viros religiosos, scientiaque varia imbutos, plures  
venire fecit, suiq; laboris onus inter eos diuisit. Inter quos e-  
rant precipui quidam viri, Burchardus & Lullus, Willibald,  
& Willibald frater eius, Witta & Gregorius; femina vero  
religiosa, mater eam fecit S. Lulli, nomine Chunibilt, & fi-  
lia eius Berathgit, Chunitrud, & Tecla, Lioba & Walpurgis,  
& soror Willibaldi & Willibaldi. Sed Chunibilt, & filia  
eius Berathgit, valde erudita in liberali scientia, in Thuringo-  
rum regione constituebantur Magistra, Chunitrud in Ba-  
goariam destinata est, ut verbi diuini semina ibidem sparge-  
ret, Tecla vero iuxta fluum \* Moim in locis \* Kibbingen &  
Ochsnofurt nuncupatis, collocavit. Liobam quoque ad \* Bi-  
seofesehim, ut illic multis diuini virginum congregatam praef-  
set, constituit.

Hæc Othlonus quæ dū Surtius vult Latiniore red-  
dere, peruertit. Et Baronio quoque impolitis, ad an-  
num Domini D C C. X X V. Sic enim ille: In his præci-  
pui fuere Burchardus, Lullus, Williboldus, Willibaldus, &  
eius frater Witta, & Gregorius. Paulo post, Walpurgis so-  
ror Willibaldi & Willibaldi. Sed his omissis, prædictam  
illam auxiliarium copiarum ex Anglia euocationem  
& submissionem reuocat Baronius ad annum Salua-  
toris D C C. X X V. Gregorio II. Pontifice Romanam  
cathedram administrante. Quo fit, ut si Othlono fi-  
dem habemus, hæc ex Anglia abitis, triginta quinque  
annis posterior fuerit, quam illa, de qua Beda & Mar-  
cellinus. Mirum, S. Willibaldum in vita S. Bonifacij  
hæc de re nullum verbum fecisse, nec utrū, nec quan-  
do ipse cum sociis à S. Bonifacio accersitus fuerit, in-  
dicasse.

Hæc tamen, quæ Othlonus narrat, non satis con-  
ueniunt cum Hodceporico S. Willibaldi, quod ipso  
S. Wil-

\* Menus.  
\* Bisingen.  
\* Bischoff-  
heim.

†  
In antiquis monumentis uarie appellatur Witta, nempe Witto,  
Witanus, Wizo, Latine Albinus, seu Albinus; nam quod nobis  
est Weiß, seu Weiss, hoc Anglis est Witt, album, quem Scotum  
hoc est, Hibernum fuisse aiunt, nec abiit Othlonus; quia licet  
à S. Bonifacio ex Anglia euocatus fuerit id tamen non obstat,  
quia eo tempore multi Hiberni in Anglia, & multi Angli in Hi-  
bernia degebant, ut ex Beda & aliunde constat.  
Gregorius cuius idem Othlonus mentionem facit, longe iustus  
est ab illo, de quo Ludgerus in commentario rerum gestarum S. Bo-  
nifacij & ipsius etiam Gregorij, hunc enim de nobili Franco-  
rum stirpe progenitum esse, prima statim nominati Oth-  
lonarij uerba ostendunt.

S. Willibaldo dictante, sanctimonialis quædam licentis consignauit: nec cum vitis S. Wunibaldi & S. Walpurgæ: nec cum Philippi nostri commentario, omnes enim consono testimonio tradunt, patrem Willibaldi, & Wunibaldi, precibus & cohortationibus filiorum, præsertim Willibaldi, permotum & incitatum, peregrinationem iniisse; & postea Lucæ in Hetruria defunctum esse, filiis, ubi iusta parenti persoluerant, Romam properantibus, quo etiam feliciter peruenerint; tametsi uterque ob coelum Romanum, peregrinis infestum, in grauem morbum inciderit; Willibaldum autem ubi conualuit, Hierosolymam abiisse, Wunibaldo ob vires nondum reparatas Romæ remanente. Hæc in Hodœporico & in S. Wunibaldi vita legimus, quibus merito assentimur, cum illud vivente S. Willibaldo, hæc verò, statim à morte S. Wunibaldi conscripta fuerint, ut videre est Tomo IV. Antiquæ Lectionis D. Canisij: Othlonus autem multis annis Bonifacio & Willibaldo posterior vixerit: Si Othlonus idem est cum illo Fuldensi Monacho, qui vitam S. Pyrminij scripsit, quæ nuper cum aliis præclaris monumentis in lucem venit studio R. P. Christophori Bronneri nostri.

Illud mirabile mihi videtur, cum in Hodœporico, & in Willibaldina vita mentio patris non semel fiat, ne semel quidem nomen eius exprimi. Sed parum id refert; quia ex aliis non dubiis monumentis Richardo ei nomen fuisse, intelligimus, ut iam supra diximus.

Nec veritati congruit, quod à nonnullis scribitur, S. Walpurgem simul cum Richardo patre, & duobus fratribus in Italiam ad limina sanctorum Apostolorum

coeing

d 2

rum



rum profectam. Reclamat Hodœporicum Willibal-  
dinum, & vita Wunibaldina, quæ euocatam ex An-  
glia tradunt, post excessum matris, (cuius nomen sub-  
ticeretur. Wunnæ tamen seu Bonnæ matri nomen fuisse,  
se, aliunde discimus, & iam supra indicauimus) cum  
passim in Germania sanctimonialium Monasteria  
excitaretur, quibus præficiendæ erant virgines Deum  
timentes, & religiosæ disciplinæ amantes: neq; enim  
sola venit ex Britannia, sed aliis virginibus comitata,  
de quibus paulò antè Othlonus; inter quas comites  
postrema non erat *Lioba* seu *Lieba*, hoc est, *Agape* seu  
*Charitas*. Quomodo etiam S. Bonifacius S. Wunibal-  
dum & S. Willibaldum socios & adiutores sibi adsci-  
uerit, Hodœporicon longè aliter docet, nempe im-  
petratos à summo Pontifice precibus S. Bonifacij, pri-  
mum quidem S. Wunibaldum, postea etiam S. Willi-  
baldum, & illum recta cum S. Bonifacio in Germa-  
niam abiisse, hunc verò post subsecutum esse.

*Ceterum* cur S. Bonifacius foeminas ex Anglia  
in Germaniam euocarit, causam hanc reddit Illustris-  
simus Baronius Tomo IX. anno DCC. XXV. N. XI.  
*Quòd sciret exemplo Apostolorum, non inutiles esse ad opus,  
sanctas quoque mulieres, quibus uteretur, velut Diaconissas,  
quas præficeret Monasteriis. Et per quas facilius gentiles fe-  
mina mutua consuetudine allicerentur ad fidem, probatas  
sanctitate mulieres a quæ ex Anglia esse petendas, utile du-  
xit.* Hæc Baronius. Vocauit ergo S. Bonifacius mu-  
lieres istas ex Anglia, ut priuatæ potissimum femina-  
rum institutioni & conuersioni vacarent, utque vir-  
ginum collegia passim tunc institui solita, tanquam  
præsides, gubernarent, inque vita religiosa iam in  
Anglia exercitate, minus exercitatis in Germania vir-  
ginibus

ginibus, religioſæ vitæ normam præſcriberent: nullo autem modo accerſitæ ſunt, vt, virorum inſtar, publicè concionarentur, verbumque Dei annunciarent. Quo fine à S. Bonifacio vocatas eſſe, impudenter ſcribit Cyriacus Spangenberg, Lutheranus præco, in geſtis S. Bonifacij; vbi adhuc inuerecundius addit; hanc fuiſſe cauſſam diſſenſionis inter Adelbertum Gallum, & Clementem Scotum, hos enim noluiſſe ferre, vt VValpurga, & cætera femina Anglicana prædicarent, permiſſu Bonifacij. Quod inaniffimum figmentum eſſe, liquet ex Romana Synodo ſub Zacharia Pontifice, quam Othlonus libro ſuo ſecundo de vita S. Bonifacij inſeruit, vbi nominatim & ſigillatim omnes errores tam Adelberti, quàm Clementis enumerantur, propter quos pax nulla S. Bonifacio cum Adelberto & Clemente intercedere poterat.

Quamuis porrò Illyricus in Catalogo Teſtium & Balæus in Centuriis Britannicis, maximè verò Centuriâ decimâ quartâ, nihil non conuiciorum in S. Bonifacium iaciant, frontem tamen adeo non perfricuerant, vt dicerent, eam, quam Spangenberg tradit, fuiſſe cauſſam diſſidij; & vt hoc obiter quoque monemus, Balæus non contentus duobus aduerſariis Bonifacij, Adelberto & Clemente, tertium addit, nempe Samſonem Scotum Presbyterum, quem miris laudibus effert, non amore veritatis, ſed odio ſancti Bonifacij: tameſi de iſto Samſone apud Othlonum in Synodo Romana nulla mentio exiſtat. Sed vnde vnde eum Balæus deprompſerit, eiufdem corij cum Clemente Scoto fuit, vt ſatis apparet ex illis iſtis, quæ Balæus de illo narrat: licet, quem narrationis ſuæ fundum habeat, num antiquum aliquod monumētum, an ſuum cerebrum, ſtudioſè ſubſticeat.

d 3


Verum

Poterat tamen Balæus pro ſuo Samſone producere episto-  
lam Zacharia Pontificis, quæ eſt inter editas CXL. ubi  
Samſonis laudes hinc in modum celebrantur. Scripſit  
reuerenda fraternitas tua reperire quendam presbyte-  
rum genere Scotum, nomine Sampſon, errantem à via ve-  
ritatis, dicentem & affirmantem, ſine myſterica inuocatio-  
ne, aut ſacro regenerationis poſſe fieri Catholicum Chri-  
ſtianum, per Epiſcopalis manus impoſitionem. Hæc autem  
qui dicit uacuuſ eſt ſpiritu Sancto, & alienus à gratia  
Chriſti, atq; à conſortio ſacerdotali abiiciendus &c. Huic  
requiſitum uirum talia prædicantem ab Eccleſia  
ſancta N. S. condemnatum expelle. Hæc Samſonis  
pæconia longe aliter timuit, quam quæ eidem Balæo  
pangit, qui ex epistoſa inter Bonifacianas 139. poterat  
eiufdem claſſis et ſortis aduerſarium Bonifacij adijcere,  
nempe Godſchalcum, ſeu, ut habent edita exemplaria  
Godalsacium: de Godſchalco tamen niſi ſpeciati-  
m actum eſt in Synodo Romana, quæ extat apud H. Elo-  
num lib. 2. de vita S. Bonifacij cap. 5.

Verùm si Spangenberger decretis Lutheranis cōsentaneè agere cogitasset, debebat potius; id, quod S. Bonifacio affingit, eidem laudi dare; & reprehendere Adelbertum & Clementem, quòd Bonifacio rem minimè reprehendendam crimini vertissent. Quid enim Lutheranae doctrinae convenientius, quàm mulieres Sacramenta administrare posse, si alij ministri desint, cum omnes omnino Christiani aequaliter sint Sacerdotes? Si virtute huius Sacerdotij Sacramenta conficere & administrare queunt, cur non etiam publicè prædicare, & ex *ambone Prædicantis* ad circumstantem multitudinem declamare? Nec desunt muliebris huius leuitatis exempla, quæ prout se dabat occasio, sæpius alibi in meis opusculis recensui.

## CAPVT XI.

*Quid tãdem sentiendum sit de S. Willibaldi ex Anglia discessu, Romam aduentu, & in Germaniam ad S. Bonifacium reditu.*

 Mnia plena sunt tenebris, partim ob inopiam veterum scriptorum, partim ob eorundem qui exstant, nõ satis consonam concordiam: Vestigiata tamen Hæretici Willibaldini, superstitè adhuc S. Willibaldo, conscripti, sequentes, videmur veritatem aliquo modo assequi posse.

Dicimus igitur S. Willibaldum ex Anglia egressum anno Domini DCC. XIX. ætatis suæ anno XV. qui est Gregorij II. Papæ in pontificatu sextus, Romamq; venisse anno Domini DCC. XX. vel sequenti, co-

ri, eodem Gregorio adhuc cathedram Petri moderante; nam in monte Cassinensi decennio vixit (non enim audiendus Philippus cum aliis nonnullis, qui quinquenarium duntaxat statuunt) & priusquam huc se reciperet, iam decennium extra patriam peregrinando consumpserat; teste utroque Hodœporico; à XIX. igitur anno vsque ad XXXIX. annum vel vsque ad exitum anni XXXIX. si numerum in eas, XX. annos inuenies, tantum scilicet temporis, quantum Hodœporicon peregrinationi transmarinæ, & commorationi Cassinensi tribuit: nam anno DCC. XXXIX. in festo S. Andreæ Cassino Romam venit; & à Gregorio III. iussus in Germaniam ad S. Bonifacium abiit, post pascha anni XXXIX. Quo etiam in Germaniam ad S. Bonifacium peruenit. Promiserat autem Pontifex S. Bonifacio, cum anno DCC. XXXVIII. Romæ esset, se Willibaldum subsidio in Germanicam messem ablegaturum, quam primum Romæ compareret.

Huic sententiæ obstare videtur adolescentiæ Willibaldi; Vix enim credibile sit, adolescentulum, quindecim annorum, patriæ finibus egressum tam molestam & longinquam peregrinationem suscepisse, & ea etiam auctoritate valuisse, ut patri & fratri sup eandem mentem iniiceret. Veruntamen si auctoritatem Hodœporici factam tectam seruare velimus, omnino hoc affirmandum erit: nam spiritus Dei non est ad annos alligatus; & multi Sanctorum eadem ætate mundo & patriæ constanter valedixerunt.

Difficilior est nodus, quem nobis Hodœporicon necit: Ait enim, S. Willibaldum in Thuringiam ad S. Bonifacium venisse, & in domo fratris sui Wunibaldi

baldi hospitalitatis mansionem habuisse, quia iam illum octo annorum spatio & nono dimidio ab eo, quo de Roma pergebat, non vidit. Quomodo tantum octo & dimidiato annis non viderat Wunibaldus Willibaldum, si septennium in peregrinatione Hierosolymitana, & decennium Cassini consumpserat? Septendecim certe annis minimum mutuo conspectu caruerant. Hic nodus implicatus est. Fortè soluetur, si dicas S. Willibaldum à fratre suo Wunibaldo visum esse in monte Cassino; cum iam sesqui vel etiam alterum annum illic ageret; bis enim venit Romam VVunibaldus, Primò, cum fratre suo VVillibaldo. Secundò, cum ex Anglia quam repetiuerat, reuersus esset: nam S. VVunibaldi vita expressè tradit, eum septimo peregrinationis suæ anno in Angliam rediisse, ut si quos posset, præsertim de sua cognatione, ad contemptum mundi & patriæ adduceret; sibi que socios peregrinationis adiungeret: id cum ex sententia successisset, Romam iteratò adiisse. Hac ergo altera vice aduentus sui in urbem, fratrem in monte Cassino latitantem salutare potuit, ita ut ab hoc ultimo congressu vsq; ad aduentum in Thuringiam, octo anni & dimidiatus effluerint; ut iam locum non accusem mendii quod fortè liceret, cum sciam Hodœporicon hoc ex mendosissimo eoque vnico codice à clarissimo viro D. Henrico Canisio exscriptum esse. Postea tamen in integrius & emendatius eiusdem Hodœporici manuscriptum exemplar incidi, quod cum Rebdorffensi, quo D. Canisius vsus est, penitus conuenit, ita ut suspicio latentis mendii cesset.

Hac igitur sententia de annis VVillibaldinæ peregrinationis posita; dicendum est, S. Richardum aut  
anno

anno DCC. XX. aut certè sequenti mortuum esse. Dico, *sequenti*: idque propterea, si forsan filij tertio demum ab egressu ex Anglia anno Romam peruenerunt: quos certum est Romam non venisse, nisi mortuo iam & sepulto patre apud Lucam Hetruriæ ciuitatem, nam cum Romam simul pergerent, S. Richardus viuendi finem in itinere fecit, cœlum pro Roma adeptus. Mortem porrò Richardi commemorat Baronius anno gratiæ DCC. L. non quòd illo præcisè anno Richardum obiisse credat, sed quia circa hæc saltem tempora, quæ de S. Richardo feruntur, accidisse existimat. Ex cuius sententia dicendum esse, Vvilibaldum & Vvunibaldum sub Zacharia Pontifice Romam peruénisse, anno nono Pontificatus eius, vel aliquo anteriore, octauo scilicet vel septimo. Sed huic opinioni refragantur omnia vetera monumenta, vt proinde omni probabilitate destituatur.

Aliqui referunt S. Richardi mortem ad annum DCC. XXV. quo anno filios quoque ad Festum S. Martini Romam peruénisse aiunt. Sed decennalis peregrinatio S. Vvilibaldi, eiusdem que totidem annorum in monte Cassino commoratio, alium computum nos inire iubent. Eandem ob causam discedere cogimur à Philippi nostri & aliorum sententia, sanctos istos sub Gregorio III. Romam venisse, circa annum Christi DCC. XXXI. Nimis serus est iste calculus.

Nec obstat, quod Philippus & Hodoeporicon tradunt, S. Vvunibaldum Romæ à S. Bonifacio repperit, & Pontificis Gregorij III. iussu in Germanicam messem abductum esse. At S. Bonifacius sub Gregorio III. venit quidem Romam (qui tertius Bonifacij

nificij in urbem aduentus numeratur) sed non ante annum Domini DCC. XXIIIX. qui erat octauus Gregorij III. tam diu autem, hoc est per XIIIX. prope aduentu annos VVunibaldum Romę moratum esse, vix apparet verisimile. Respondeo, S. VVunibaldum toto isto annorum interuallo non semper Romę mansisse; nam vt in VVunibaldina vita aperte scribitur; septimo peregrinationis suę anno VVunibaldus Angliam repetit, vt si quos posset, præsertim de sua cognatione, ad contemptum mundi & patrię induceret, sibi que socios peregrinationis adiungeret. Id cum ex animo successisset, Romam iteratõ adit, nam in quemcunque demum annum repetitus VVunibaldi ad urbem accessus incidit, optimè fieri potuit, vt anno salutis DCC. XXIIIX. VVunibaldus à S. Bonifacio Romę inueniretur, in que Germaniam strenuus Dominicę vineę excolendę administrer futurus, abduceretur.

Sub finem huius disputationis, omittendum non est: Illustrissimum Baronium haud satis sibi constare, cum de hoc argumento Tomo II. & IX. disputat: nam quia Marcellinum legerat; egressum VVunibaldi & VVunibaldi ex patria ad annum Domini DC. XC. refert, & anno gratiæ DC. XCVII. eundem Episcopum Eystettensem creat. Rursus Tomo IX. Auctoris, qui vitam S. Bonificij scripsit, verba commemorans, euocationem ex Anglia reuocat ad annum Domini DCC. XXV. Quę duo coherere non possunt, vt per se liquet; & mirum est, accuratissimum Baronium hoc non aduertisse; nam si vera sunt, quę Auctor Marcellini nomine velatus narrat, ruant oportet, quę Scriptor vitę Bonifacianę seu Othlonus pro-

prodidit: & vice versa. Iterum, cum Baronius incidisset in Tomum I V. Antiquæ Lektionis à D. Henrico Canisio euulgatum, in quo sunt varia Ecclesiæ Eyster-tensis antiqua monuméta, legisset que, Willibaldum à S. Bonifacio petitiu esse, vt auctoritate Pontificis Gregorij III. in messem Germanicam ablegaretur, corrigi vult in Appendice ad Tomum IX. quæ ex Othlono ad annum D C C. X X V. retulerat; nam Willibaldum & Wunibaldum non ex Anglia à S. Bonifacio accersitos esse, sed Româ abductos.

Epitaphium S. Richardi exhibet Baronius anno Redemptoris D C C. L. In eo appellatur Richardus *Rex Anglorum*. Caterum in Appendice ad Tomum IX. redditur hoc regnum Baronio dubium & suspectum. Ita cum doctissimus & celeberrimus historiae Ecclesiasticæ pater, non haberet, vbi pedem firmiter figeret, iam hoc, iam illud ex diuersis & contrariis auctoribus in Annales suos, sine accuratiore examine transtulit; cuiusmodi est etiam illud, quod in Epitaphio S. Richardi legerat; Willibaldum & Wunibaldum filios à Richardo apud S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum relictos fuisse, ipsum que Richardum absque illis in Italiam abiisse. Quod vtrique Hodæporico, vitæ Wunibaldinæ & Willibaldinæ & Philippo nostro ex diametro aduersatur. Verùm de his omnibus, quid statuendum sit, iam planum fecimus. Hanc fluctuationem Illustrissimi scriptoris non duxi dissimulandam, ne quis auctoritate tanti viri auius à vero abduceretur.

**XXXXXXXXXX**



*De Sacerdotio & Episcopatu sancti  
Willibaldi.*



Sanctum Willibaldum à S. Bonifacio Sacerdotij honore insignitum esse, testatur prius *Itinerarium* ab Heidenheimensi Sanctimoniali conscriptum: & quidem Eystadij, seu in loco, qui postea Eystadij appellatione tulit; ipso S. Mariæ Magdalenzæ festo; vt citatum iam Hodœporicon disertè tradit; & notatur itidem in Calendario seu Necrologio, quod Pontificali Eystettensi manuscripto innoxum est. Vbi additur: Quotannis eo die institui processionem in cryptam, in qua S. Willibaldus sepultus erat, vtique in memoriam Sacerdotij eo die à S. Willibaldo suscepti. Dicitur, *ex antiquo*: quia translato corpore ad *Monasterium* processio quoq; mutata est: vt & tunc, cum tandem S. Willibaldus in choro sibi dicato stabilem sedem inuicauit. Eò nunc, vt ait Manuscriptus, processio ducitur.

Sed quaeritur de anno, quo S. Willibaldus Sacerdotio initiatus est. Hodœporicò Sanctimonialis affirmat id factum, vno anno ante Episcopalem cōsecrationem: cum autem S. Willibaldus anno Domini DCC. XLV. ad Episcopalem gradum euectus fuerit, sequitur, eum, Sacerdotem creatum anno priore, hoc est, anno Redemptoris DCC. XLIV. Cum hoc Itinerario consentit posterius illud ab Anonymo cōfectum. Quocirca non moramur Anonymum Scriptorem vitæ Willibaldinæ Tomo IV. Canisij, qui à Sacerdotio S. Willibaldi vsq; ad Episcopatum statuit *lustrum*, hoc est, quinquennium: vt proinde dicendum videatur.

tur S. V Villibaldum anno gratiæ DCC. XL. Sacerdotij dignitatem consecutum esse. Non moramur, inquam, hunc Auctorem, quia maior est auctoritas vtriusque Itinerarij, præsertim prioris, quod viuentis, imò & dictante S. V Villibaldo conscriptum est. Deinde Auctores isti non solent esse vsq; adeò rigidi & religiosi proprietatis vocabulorum obseruatores. Hinc credibile fit, lustrum à scriptore isto pro annuo spatio vsurpatum esse. Quanquam parum interest, hoc ne an illud sentias, tamen si, vt dixi, vtrunque Hodœporicon maiorem apud me fidem meretur.

Ad Episcopatum quod attinet; communis traditio & persuasio habet; S. V Villibaldum ad hoc honoris fastigium exaltatum esse anno Saluatoris DCC. XLV. tribus hebdomadibus ante Natalem S. Martini, vt inquit Hodœporicon, cùm quadragesimum, primum ætatis suæ annum ageret; neque huic sententiæ ratio deest ex ipso cursu V Villibaldinæ vitæ collecta: nam XXXVI. annos Episcopatum tenuit; mortuus anno DCC. LXXXI. Si ergo ab anno XLV. vsque ad annum LXXXI. omnes annos computes, triginta sex annos Episcopatus inuenies.

Annales tamen in anno V Villibaldini Episcopatus variant: nam Francisci à Frehero editi: *Duos Episcopos constituit (Bonifacius) unum VVirziburgi, alterum in loco, qui dicitur Aichstat anno DCC. XLVI.* Hermannus Contractus in Chronico: *Anno DCC. XLVII. S. Burckhardus VVirzeburgensi, & S. V Villibaldus Eystetensi Ecclesia Episcopi, primi à S. Bonifacio ordinantur.* Duobus ergo annis serius id contigit ex sententia Hermanni, quam vulgaris persuasio, immò quàm ipsa veritas habeat. Marianus Scotus in suo Chronico refert hanc ordi-

nationem ad annum gratiæ DCC. XLVI. aitque factam non tantum auctoritate sedis Apostolica, sed etiam annuente Carolomanno Rege.

Verum in XLV. anno persistendum est; quem turbat Othlonus, qui in vita S. Bonifacii lib. i. cap. 42. scribit à Carolomanno Francorum Principe coactam Synodum anno ab incarnatione Domini DCC. XLII. ei que, præter S. Bonifacium Archiepiscopum, interfuisse Episcopos Burchardum & Reginfredum, Vitatum & Villibaldum, Dadanum & Addanum, cum presbyteris eorum. Si ergo Villibaldus iam anno DCC. XLII. Episcopus erat, quomodo demum post tres annos, id est, anno DCC. XLV. Episcopali honore insignitus est, ut habet Hodæporicon Villibaldinum, & communis Eystettensium persuasio? Nec refert, quod in Surio est Villiboldus, non Villibaldus, nam unum & idem nomen est, ut suo loco diximus. Hic iterum nodus vix solubilis nascitur: nam ut quis dicat Othlonum errasse, vix fidem faciet, quæ enim dicit, ex publicis actis Synodi dicit; & Annalium Conditor Baronius ad eundem Domini annum hanc synodum refert. An Villibaldus tempore Synodi erat duntaxat destinatus & electus Episcopus, nondum autem consecratus, aut vlli certæ sedi addictus? An non obstante, quod alioqui Villibaldus & Villiboldus idem nomen sunt, hic discriminabimus, & Villibaldum istum à nostro Villibaldo secernemus? Non minor est difficultas de Burckhardo, qui anno demum DCC. L. vel DCC. LI. Romæ à Zacharia Pontifice Episcopus ordinatus est, & anno DCC. LI. sollemniter in diocesi Herbipolensi promulgatus, & declaratus, ut scribit Egilvardus lib. i. de vita S. Burckhardi

dicap. 10. Quomodo ergo Burckhardus iam erat Episcopus anno DCC. XLII. quo Synodus illa Ratisbonæ, vt quibusdam videtur habita est? †

Vidit hunc nodum de Episcopatu S. Burckhardi etiam Serarius noster in Notis ad S. Kilianum. At nescio num soluerit; nam difficile est ex anno DCC. LI. facere annū DCC. XLI. cum S. Burckhardus Romæ sub Zacharia Papa Episcopus creat<sup>9</sup> sit, presente S. Bonifacio, quando vltimò Romā venit, qui in urbē aduentus nō contigit ante salutis annum DCC. L. Idem tamen Serarius postea lib. 3. Mogunt. Not. XLIV. in S. Bonifacii vitā, confugit ad designationem, ita vt Burckhardus anno DCC. XLII. tempore Synodi fuerit designatus Episcopus, non consecratus, aut certo loco deputatus, prout nos de S. Villibaldo diximus.

Cæterum Synodo, quam Othlonus lib. 1. de vita S. Bonifacii cap. 44. tertiam appellat, celebrata Moguntiaci vt nōnullis placet, anno gratiæ DCC. XLV. interfuit S. Villibaldus, eodem anno circa festum S. Martini Episcopali honore insignitus; si verum est, Epistolam XIX. S. Bonifacii ad Ethilbaldum Regem Merciorū ex concilio scriptā & missam esse, cuius in titulo, præter alios Episcopos, apparet etiam Villibald.

Episcopatus sui & Burckhardini meminit ipse etiam S. Villibaldus in S. Bonifacii vita cap. 10. *Iuxta Ecclesiasticæ dispositionis normulam pastorale populi præuidit (Bonifacius) ministerium: vt siue viuente illo, siue etiam moriente, medicinali plebs pastorum officio minimè careret, & duos bona industria viros ad ordinem Episcopatus promouit, Villibaldum & Burghardum, eis q̄ in intimis Orientalium Francorum partibus, & Bauarorum terminis Ecclesias sibi commissas impertiendo distribuit, & Villibaldo sue gubernat.*

† licet alij magis inclinent in Moguntiam; quia Carolomannus initio Synodi, (cuius fragmentum exstat apud Othlonum lib. 1. de vita S. Bonifacii cap. 42. & inter Bonifacianas Epistolas post Epist. 78.) proficitur se sui Regni Episcopos ad Synodum conuocasse; credibile ergo est in loco etiam sui Regni congregasse; qualis non erat Ratisbona, quæ Odilonis Boiorum Ducis imperio tenebatur. Hinc cum & Aystadium extra fines Regni Carolomanici esset, arbitrantur isti, Villibaldi nomen ab imperito quopiam intrusum esse. Quod creditu non est procliuè propter manuscripta exemplaria Othloni & Epistolarum Bonifacianarum, quæ nomen Villibaldi concorditer representant. Illud contra Ratisbonam efficacius est; quia si Ratisbonæ hæc Synodus celebrata fuisset, interfuisset utiq; Episcopus Ratisbonensis, qui tum Gubaldus seu Garibaldus erat, vnà cum reliquis Boicæ Antistitibus. Lector arbitratu suo eligat siue hoc, siue illud, siue aliud; quia res incerta est, & longinquæ tenebris inuoluta. Quis euoluet, ita vt liquidò liqueat?

Hanc Epistolam ex Synodo prædicta missam esse ad Regem Ethilbaldū, docet S. Bonifacius Epist. 10. ad Herifridum Presbyterum ubi ista leguntur. *Præterea nos octo Episcopi, quorum nomina subter ascripta uimus, in communitate, frater charissime, deprecamur. &c.* Sed vitio librariorum nulla nomina Episcoporum a calcem Epistolæ apparent. Et in titulo Epist. 19. ad Ethilbaldum Regem Merciorum.

*non octo, sed tantum sex Episcopi nominantur, ut admodum ueris simile fiat, id culpa exscriptorum accidisse.*

monumentis variè appellatur Wittra; n  
VVitranus, VVizo, Latine Albuinus seu  
quod nobis est, wiff seu wiff; hoc Angli  
bum; quem Scotum, hoc est, Hibernum  
nec abnuvit Othlonus; quia licet à S. Bor  
glia euocatus fuerit, id tamen non obsta  
pore multi Hiberni in Anglia, & multi A  
nia degebant, ut ex Beda & aliunde con  
Gregorius, cuius idem Othlonus n  
cit, longè diuersus est ab illo, de quo Lu  
mentario rerum gestarum S. Bonifacij  
Gregorij, hunc enim de nobili Francorum  
tum esse, prima statim modò nominat  
verba ostendunt.

Pag. 269. v. 14. requirit. Adde: Re  
stitutiones Apostolicae Clementis Rom  
disertè præcipiunt, ut qui ad Episcopa  
uebitur, non sit minor natu quam annor  
quòd ea aetas quodammodo iam inueniles p  
nomine Samp, qui foris sunt obirectationes effugerit.

manentem, sine mystica inuocatione, aut lauacro regem  
kationis posse fieri catholicum Christianum, per  
nus impositionem. Hic autem qui dicit, uacuus est Spiritu  
sancto, & alienus à gratia Christi, atq; à consortio Sacerdotu  
abijciendus, &c. Hunc nequissimum uirum talia predicat  
iem, ab Ecclesia sancta Dei condemnatum expelle. Ha  
Sambus paxonia, longè aliter coniunct, quã  
N

bernationis parochiam commendauit in loco, cui uocabulum  
est Heistate. Burghardo uerò in loco, qui uocatur VVirze  
burg, dignitatis officium delegauit, & Ecclesias in confinij  
Francorum atque Saxonum atque Sclauorum suo officio de  
putauit, & usque ad gloriosum exitus sui diem, incessanter  
arctam regni caelestis uiam plebibus patefecit.

S. Ludgerus in uita seu passione S. Bonifacij. VVil  
libaldus electus Dei antistes Episcopatum, quod nuncupatur  
Hehstedi, in parte proxima nobis Baguariorum, idè in Nord  
goè simili modo, ut pius pater à fundamentis illud erigens,  
meliorauit & custodiuit.

Adfiterunt Bonifacio in consecratione S. Willi  
baldi Burckhardus & Witto seu Wizo Episcopi uerit  
cap. 22. Philippus, & Hodocporicon Willibaldinum.  
Sed nodus hic difficilis incidit, cum Burckhardus  
quinquennio aut sexennio demum post Romè à Zacharia Pontifice, præsentè S. Bonifacio, Episcopus  
ordinatus sit, & anno Redemptoris DCC.LI, Wirze  
burgi solenniter declaratus, ut scribit Egilwardus lib.  
1. de uita S. Burchardi cap. 10. An Burchardus non  
adfuit, ut iam consecratus, sed ut designatus Episco  
pus? Dissimulandum non est, multa in illo Egilwardo  
occurrere, quæ à ueritate dissideant; neque ueteri  
sed nouitio alicui scriptori adscribenda uideantur.  
Cuius luculentissimum exemplum proferemus, cum  
infra de morte & annis S. Willibaldi disseremus. Quid  
quod ipse S. Bonifacius in Epistola, quam ad Pontifi  
cem Zachariam misit anno Domini DCC.XLI. apertè  
scribit, se tribus locis Episcopos constituisse, Wir  
ziburgi, Buraburgi, & Erphesforti, petiq; eorundem  
à Pontifice approbationem & confirmationem. Quos  
Pontifex epistola ad Bonifacium data anno sequenti  
DCC.

DCC. XLII. Apostolica auctoritate confirmavit. Cessat ergo hac ratione difficultas de Synodo anno hoc DCC. XLII. celebrata, cui Burckhardus tanquam Episcopus interesse scribitur. Verè enim hoc anno Episcopus erat, iam à sede Apostolica confirmatus, ut & Witto seu Witta seu Wizzo Episcopus Buraburgis de quo quis locus fuerit, vide Notationem 29. Serarij in Bonifacianam vitam; & quamuis S. Willibaldus in S. Bonifacij historia eodem orationis tenore scribat, V Villibaldum Eystettensem, & Burckhardum V Virzburgensem Episcopos constitutos esse, id tamen non ita accipi debet, quasi vno eodemque anno id acciderit; nam diuersis annis ad Episcopale culmen euectos esse, ex dictis planum relinquitur. Quare nulla etiam in literis S. Bonifacij ad Zachariam Pontificem Episcopatus Eystettensis mentio exstat, utpote posterius demùm instituti. Locus autem in quo S. V Villibaldus à S. Bonifacio consecrationem Episcopalem accepit, in Thuringia erat, nomine *Sulzberg* seu *Sulzburg*. Nec post consecrationem diutius quam vnam hebdomadam in Thuringia mansit, sed quanto citius ad gregem sibi commissum, tanquam fidelis & sollicitus pastor, properauit.

Licet porro S. V Villibaldus sedem Episcopalem iam adisset, sæpe tamen euocabatur Moguntiam & aliò à S. Bonifacio, idque ob communem Ecclesiarum utilitatem ut cap. 24. Philippus memorat. Frequenter enim celebrabat Synodos, ut patet ex vita S. Bonifacij cap. 10. à quibus dilectum sibi V Villibaldum haud abesse sinebat: tamen postea grandior natu, synodales conuentus S. Bonifacius adire & obire non solebat, teste eodem V Villibaldo.

f CAPVT

Quod de Chronologia Epistole S. Bonifacij ad Zachariam Papam, & de Epistola Zacharia ad Bonifacium scriptis, id scriptis Baronium secuti. Atque sequuntur has Epistolas ad annum Domini DCCX LIII. ut & Synodum à (anno) anno indictam. Locus opinio est, ut frequenter in Chronologis accidit) quam utilior. Indictio undecima que signatur Epistola Zacharia, fauet quidem huic opinioni; sed Baronius mendam irreptis, & pro undecima decimam Indictionem substitui debere non improbabilibus argumentis demonstrat.

*De quatuor Episcopatibus, quos S. Bonifacius in Bauaria reformauit.*

**S**anctus Bonifacius anno Redemptoris DCC. XXXIIIX. à sede Apostolica rediens, diuertit ex itinere ad Regem Longobardorum Luitprandum; à quo recedens, inquit S. Villibaldus in S. Bonifacij vita cap. 9. non solum inuitatus Bauarorum ab Odilone Duce, sed & spontaneus uisitauit incolas, mansitque apud eos diebus multis, predicans & Euangelizans uerbum Dei, ueraque fidei ac religionis sacramenta reuocauit: & destructores Ecclesiarum populi que euersores abigebat. Quorum alij pridem falso se Episcopatus gradu prætulerunt; alij etiam presbyteratus se officio deputabant: alij hac atque alia innumerabilia fingentes, magna ex parte populum seduxerunt. Sed sanctus uir iam Deo ab infantia deditus, iniuriam Domini sui non ferens, supradictum ducem, cunctumque vulgus ab iniusta haretica falsitate secta, & fornicaria sacerdotum deceptione coercuit, & prouinciam Bauarorum, Odilone duce consentiente, in quatuor diuisit parochias, quatuorque his partibus presidere fecit Episcopos: quos ordinatione scilicet sancta, in Episcopatus gradum subleuauit: Quorum primus nomine Ioannes, Ecclesia in oppido, quod dicitur Salzburg, Episcopatus Cathedram suscepit. Secundus Erenberch, qui Frisingensis Ecclesie speculatoris tenuit principatum. Tertius Gaibaldus, qui Ecclesie ciuitatis Reginae pastorale excubitoris subiit magisterium. Quartus Wiuilo, qui super Patauiensem Ecclesiam sacre indagationis obtinuit dignitatem. Cumque omnia confirmato Christianitatis ordine ritè agerentur, ut canonum essent iura in Bauariis recuperata, iam ad proprias remeando rediit Ecclesias, populi que sibi commissi curam gerens,

rens, culpas q̄ gregum circumspiciens, & excubias prouidens, oues à nefandis luporum moribus eripuit.

Ex his lupis vnus erat, qui non tantum factis, sed & nomine lupum se exhibebat, Erenuolfus, de quo isthæc lib. 5. rerum Boicarum amplissimus, mihi que, dum viueret, amicissimus Dominus Marcus VVelferus. Vix obierat Corbinianus, cum infaustum nomen Erenuolfus, homo hæreticus, primus, cuius memoria inter Boios exstet, si his quoq; pestibus annotandis operapretium facimus; flagitiosa impiorum dogmatum labe serenda grassari cœpit. Bonifacius, ut erat acri in diuinum cultum, studio, properè accurrens, ne virus latius serperet, auctorem sceleris, mature, ex sacrorum Canonum præscripto, damnatum, ab Ecclesia communionereuicit, simul populum salutariibus concionibus admonitum in viam reuocat.

De hac Episcopatuū reformatione ita Gregorius III. ad ipsum Bonifacium anno sui Pontificatus IX. Christi DC C. XXIX. rescripsit: Quia indicasti perrexisse te ad gentem Baioariorum, & inuenisse eos extra ordinem Ecclesiasticum viuentes, dum Episcopos non habebant in prouincia, nisi vnum nomine Viuilo, quē nos ante tempus ordinauimus, & quia cum assensu Otilo Ducis eorundem Baioariorum, seu optimatum prouincia illius, tres alios ordinasse Episcopos, & in quatuor partes prouinciam illam diuisisse, id est, in quatuor parochias, ut vnusquisque Episcopus suam habeat parochiam, benè & satis prudenter peregisti frater. Et quoniam Apostolicam præceptionem ex nostra vice implesti, & sicut tibi præcepimus, ita peregisti: itaque non desinas, frater reuerendissime, docendo eos sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanæ sedis traditionem, ut illuminentur rudes, & viam salutis teneant, per quam possint ad æterna præmia peruenire.



Non ergo Episcopatus istos Salisburgensem, Frisingensem, Ratisbonensem & Passauiensem, S. Bonifacius instituit, quippe qui sint antiquiores S. Bonifacio, ut vel ex Metropoli viri nobilis *Vigulei Hundij* apparet; vbi singulorum Episcopatum indices texuntur, quos & quales à primo suo ortu præfules haberint: sed cum vel nullos, vel non legitimos pastores haberent, omniaque in deterius collapsa ruerent; S. Bonifacius legatione Apostolica functus, singulis sedibus idoneos antistites præfecit, relicto suo in gradu Viuione Pataviensi, qui munus Episcopale, prout par erat, obibat; & vitiis flagitiisque in clero tunc exuberantibus, viriliter obuiam ibat.

Quamquam Philippus noster non tantum in hoc Commentario, sed etiam in S. Walpurgæ vita ad Reginam Hungariæ, constanter affirmat, Episcopatum Frisingensem à S. Bonifacio esse conditum, cuius hæc sunt verba: *Fuere in Regno Pipini Regis duo viri illustres, scilicet Odylo Dux, & Suuiggerus Comes, qui utriq; ad S. Bonifacium venientes orationibus eius se commendauerunt, & prædia sua cum mancipiis ad seruiendum Deo viuenti deuotissime ei obtulerunt. Sed beatissimus Præsul considerans, quia res Ecclesiæ, vota sunt fidelium, pretia peccatorum, patrimonium pauperum, ex allodiis Odyli Ducis, Frisingensem instituit Episcopatum; ex prædiis verò Suueigeri Comitum, Eystettensem fundauit, & firmavit Pontificatum; præfecitq; venerabilem fratrem, & discipulum suum S. Corbinianum, Frisingensibus: Sanctum verò Willibaldum Deo dignum Episcopum Eystettensibus. Sed res aliter se habet. Non instituit S. Bonifacius Episcopatum Frisingensem, sed reformauit, dato Eremberto Antistite, finesq; huius & aliarum Dioceseon in Bauaria descripsit. Vnde*  
Ocho

Otho Frisingensis lib. 5. Chron. cap. 22. *B. Bonifacius terminos Episcopatum Baioariae, sicut hodie manent, distinxit. Nec S. Corbinianum Bonifacius Episcopum Frisingensem fecit, quippe qui, condito nouo Episcopatu, eidem praesse coeperit circa annu Domini DCC. X. sub Pipino Rege, & Grimoldo Boioru Duce; quo tempore Bonifacius nec dum Apostolica legatione in Germania fungebatur. De Episcopatu tamen Frisingensi optimè meritus est S. Bonifacius, tum propter reformationem, tum propter amplissima dona, quæ ab Odilone accepta eidem liberaliter contulit.*

Non desunt Auctores, qui, cum de Bauaricorum Episcopatum seu reformatione seu institutione agunt, adiiciant quoque Episcopatum Eystettensem, ex quorum numero est Andreas Ratisbonensis, qui in suo Chronico ista. *Ioanni Salzburg, Baibaldo Ratisbonæ, Villibaldo Eystett., Ermberto Frisinga commendatur; nam tunc nullus in tota prouincia pastorem cathedram possidebat, prater Vuilonem. Auctor vitæ S. Gotthardi Episcopi Hildesheimensis cap. 1. Villibaldo Eystettensis, Ioanni Salisburgensis, Ermberto Frisingensis, Garibaldo Ratisbonensis Ecclesia commendatur. Vbi iterum vides, Eystettensem Episcopum cum institutione aliorum Episcoporum coniungi; quod secus factum oportuit: nam diuersis temporibus ista acciderunt, vt iam vidimus; & vtcunq; hæc siue apud recentiores, siue apud antiquiores coniuncta legis, memineris disiungenda; & variis temporibus assignanda esse.*

Propter hanc reformationem à S. Bonifacio factam, primèq; institutioni quasi æquivalentem; quatuor Episcopatus, gratitudinis testandæ gratia, Monasterio Fuldensi vbi S. Bonifacius requiescit, fundos &

pensiones annuas decreuerunt, prout demonstrantur  
quæ ex vetustis Ecclesiæ Fuldenfis monumentis de-  
prompsit, R. P. Christophorus Broverus lib. 3. Anti-  
quit. Fuldensium cap. 11. & sunt ista.


Cunctis nostris fidelibus notissimum est, qualiter pracla-  
rissimus patronus noster, & totius Gallia atque Germania A-  
postolus, S. Bonifacius, cum ab errore gentilitatis Boioariam  
conuertisset, diuisit eam in quatuor Episcopatus, & quatuor  
ex discipulis suis ordinauit pastores, ad regendum populum  
Dei. Ioannem Salisburgensi Ecclesiæ; Viuulum Batauiensi Ec-  
clesiæ, Gouuibaldum Ratisponensi Ecclesiæ, Erimburtum Fri-  
singensi Ecclesiæ præponens. Qui statim velut palmites, vera  
viti adherentes, in vinea Domini, non sine fructu animarum  
sibi commissarum, comparuerunt; sed & insuper, quantum  
potuerunt, ipsam Fuldensem Ecclesiam, matrem suam, pro a-  
more pijs patris Bonifacij, donis & honoribus extulerunt. Vnde  
contigit, ut quisque eorum, pro posse suo, charitatis oblationes  
Fuldenfis Fratribus, de sua patria annuatim persoluerent,  
ac suos ciues, ut idem facerent, incitarent. Sicq; factum est, ut  
de singulis regionibus plurima prædia quique Fuldensi Eccle-  
sia, pro honore S. Bonifacij Archiepiscopi & Martyris confer-  
rent; cresceret q; & augmentaretur domus Domini de die  
in diem.

Obtulit ergo primum Salisburgensis Ecclesia, matri suæ,  
Fuldensi Ecclesia in oppido suo Halla nuncupato, domum &  
fontem salis, cum compertinentiis, & utensilibus suis, vnde  
singulis annis XII. talenta persolui possunt. Obtulit etiam Ra-  
tisponensis Ecclesia quatuor vineas, & quatuor regales man-  
sos, cum curtibus & compertinentiis ac famulis suis. Vnde  
singulis annis transmittere debent ad Fuldensem Ecclesiam,  
fratribus Deo, & B. Bonifacio seruientibus piscem magnum,  
Husen nuncupatum; & de oleo arborum, quantum equi duo

in lagenis deferrent. Similiter de oleo & pisce solebat Batauiensis Ecclesia idem, dum videret Viuulus Episcopus, fratribus Fuldensis Monasterij, singulis annis in oblationem transmittere; quo defuncto, paulatim per negligentiam & incuriam, siue per via longinquitatem, subtractum est. Frisingensis verò Ecclesia, cui praeerat Erinbertus Episcopus, quae iuxta Alpes, & montana Italia sita est, singulis annis caseos grandes, Berg Keese vocatos, Fuldensibus fratribus in oblationem transmittibat. Prater ea, de singulis terrarum prouinciis, seu regionibus, singuli fideles, offerebant Deo & B. Bonifacio, praedia seu mancipia; quae omnia descripta sunt in octo codicillis, & reposita in librario sanctae Fuldensis Ecclesiae.

## CAPVT XIV.

De occasione instituendi Episcopatus  
Eystettensis.

 Causa fuit liberalitas Odilonis Boiorum Ducis, & Sviggeri, seu Sviggarij Comitis Hirpergensis, de quibus Itinerarium Sanctimonialis Heidenheimensis. Venit Willibaldus (Româ in Germaniam redux anno DCC. XXXIX) ad Ducem Odilonem, & ibi fuit unam hebdomadam, & inde venit ad Suutigarium, & ibi fuit unam hebdomadam. Et inde perrexerunt ad Linthrath, Suitgarius & S. Villibaldus ad S. Bonifacium. Et misit illos S. Bonifacius ad Eystet, ut videret, quomodo sibi placeret. Illam regionem Eystet Suitgarius tradidit S. Bonifacio, in redemptionem animae suae: Et S. Bonifacius tradebat nostro Episcopo S. Villibaldo illam regionem, quae adhuc tota erat vastata, ita ut nulla domus ibi esset, nisi illa Ecclesia S. Mariae quae stat ibi, minor, quam alia Ecclesia, quam postea B. Villibaldus ibi construxerat. Cumq; ibi duo  
mane-

manerent simul ad Eystet aliquantum temporum inducium, S. Willibaldus atque Suitgarus, aliumq; ibi habitationis locum explorando eligerent: postea iterum pergebant ad sanctum Bonifacium ad Frisingam, & ibi erant cum illo, usque dum omnes simul iterum veniebant ad Eystet. Hæc Hodœporicon.

Eistadiensi Episcopatu, inquit Velserus, lib. 5. historiae Boicæ, Suigerum, Hirsbergensem Comitem, volente & consentiente Vtilone, quod Boica usque eò pertingeret, multa liberaliter ad eò contulisse ferunt, ut eius usque adhuc auctor habeatur & conditor. De eadem re fusius Philippus, cuius verba habes in Commentario cap. 22. & capite sequenti harum Observationum repetita inuenies. Locum ergo pro Episcopatu erigendo donauerat sancto Bonifacio Sviggerus seu Sviggarius Comes ab Hirsberg. At S. Bonifacius discipulo suo Willibaldo eundem transcripsit, neq; enim terram illam à Svigero acceperat, ut eam sibi reseruaret, vel in profanos usus conuerteret; sed ut inde vel ipse vel alius animarum questum faceret, & ad veri Dei agnitione quam plurimos adduceret. Cum autem fundi & prædia Eystettensis Diœceseos primitus à Comite Hirspergico processerint, inde factum est, ut posteri Comites eiusdem stirpis pro aduocatis Episcopatus sese gesserint: ius que non modò in ciuitatem Eystettensem, sed & in alia ad Episcopatum spectantia bona sibi vendicarent, non sine litibus aliquando exortis, donec tandem deficiente illa familia, totus Comitatus Episcopatu cessit.

Quod autem Hodœporicon ait, Svigerum Comitem & Willibaldum missos esse à S. Bonifacio ad locum, qui dicitur Eystet; & ipsum etiam S. Bonifacium

Frisingam

Frisingâ venisse ad locum Eystet, id per anticipatio-  
nem dictum videtur; nam posteris demùm annis,  
succisis quercubus & elucato luco, conditisque do-  
miciliis hoc nomen natum esse, probabilius credo,  
cùm civitatem innuat, vel potius clarè ostendat; quæ  
prius utique non erat, quàm ædificaretur.

Silentio prætereundum non est, quod Luthera-  
nus Prædicans Cyriacus Spangenberg in historia,  
S. Bonifacij cap. 31. nescio quo veteri auctore vel te-  
ste, scriptum reliquit his verbis. *Cum S. Bonifacius per-  
agraret Germaniam novosq; Episcopos Bavaria inniseret, nec  
non potentiores terra ad diuinum cultum promouendum ad-  
moneret, sapius ad Suuigerû Comitem de Hirsberg diuertit,  
qui pius multumq; Catholica religioni addictus erat: tempore  
quodam S. Villibaldum cognatum suum illi reliquit, qui sa-  
pius de rebus diuinis, modoq; quo hæc promoueri in ditione  
sua possent, collocti sunt. Admiratus aliquando S. Villibal-  
dus Hirspergensium Comitum insignia (nigrum in aureo cly-  
peo supra ceruleum montem erectum ceruum) comiti ea ostē-  
dens, aperuit, quòd non gratis à Deo tantis bonis ditatus sit,  
terrâque tam pulchra dotatus, iamq; ad veram cognitionem  
Christi venerit; atque ut niger ceruus à natura Ethnicus, su-  
pra caruleum montem cælorû ductus, & in aureum clypeum  
futura beatitudinis positus sit, verã ansam ei ac causam Deum  
dedisse promouendi Ecclesiam, regnumq; Christi de terrenis  
diuitiis. Huius verò rationē ac modum Comes cùm exquire-  
ret, S. Villibaldus respōdit, quòd ad promotionem vera reli-  
gionis eiusq; aeterna memorie, nihil melius sit, quàm si in suo  
comitatu Ecclesias & monasteria edificaret, eoque S. Bonifa-  
cium moueret, ut tandem Episcopalis sedes in ipso constitue-  
retur. Quod Comes intensus cogitans ac perpendens S. Boni-  
facio propositum aperuit, ipsiq; maiorem partem Comitatus*

fui ad illud exequendum obtulit: Cui S. Bonifacius assentiens, commodum locum futuro Episcopatu quaesivit, & in eius ditione constituit.

Hæc Lutheranus ille Logodulus: quem miror, S. Bonifacij res gestas mandare liceris ausum fuisse, cum nullus in illis appareat Lutheranus vel Calvinianus Minister, sed omnia plena sint Monachis, & Monasteriis, Monialibus & Parthenonibus, quæ tam ad Lutherana & Calviniana labra faciunt, quàm cardui sylvestres ad os Apicianum Lutheri: nisi fortè Cyriacus iste pro collegis agnoscat illosdamnati nominis Adelbertum & Clementem Scotum, & quem Balæus his adiecit, Sampsonem, itidem Scotum. Sed quous pignore certare haud pigeat, istos ipsos fabulatores & S. Bonifacij hostes, si in Spangenbergerum eiusdemque foris alios Spermologiae Lutheranae & Calvinianæ disseminatores incidissent, non secus ac humani generis portentia quædam detestatos fuisse.

Verùm, ut in viam redeamus, virum ante consecrationem Episcopalem, an verò postea Basilica D. Virginis, Monasterium, & ipsa vrbs ædificari cœpta sint, incertum est. Verisimilius videtur, hæc omnia Willibaldo iam ad Episcopatum euecto, inchoata esse. Et si Itinerarium posterius statim post susceptum sacerdotium, Willibaldum manum operi admouisse testetur his verbis. *Nec mora, Ecclesia fundamenta cepit ponere, claustrum & officinas cleri signare, & qualibet diuina necessaria seruituti sagaciter disponere.* Reuoluto abhinc anno, Archiepiscopum in Thuringia adiens, &c. Hodœporicon prius hæc omnia suscepto iam Episcopatu accidisse refert: tametsi ab Hodœporico dissentiant vulgaria pro Eystertensi Ecclesia Calendaria; vbi hoc ipso anno gratiæ

tia M. D. C. XVI. quo hæc scribimus, numeratur à condita vrbe Eystettensi annus DCCC. LXXVI. Quo fit, vt ille Calendarij conditor initium vrbis Eystettensis ad annum Domini DCC. XL. reiciat. Quæ est quorundam sententia, qui putant, S. Willibaldum Sacerdotio initiatum anno DCC. XL. quinquennio post, Episcopatu. Et hoc quinquennio vr-  
bem, Basilicam D. Virginis, & alia ad Episcopalem sedem necessaria, à Svvigero Comite exstructa esse. A qua opinione nihil me remoratur, nisi vtriusque *Itinerarij* auctoritas, de quo iam suo loco plura.

Ne verò Ecclesia Eystettensis à S. Bonifacio fundata & dotata, in Monasterium Fuldense, S. Bonifacij titulo & tumulo nobilitatum, ingrata videretur, eidem villam quandam dono dedit, etiam S. Willibaldo adhuc superstite, de qua donatione R. P. Christophorus Broverus noster libro 3. Antiquitatum Fuldensium ex antiquis monumentis ista nobis legenda exhibuit.

*Willibaldus Eichstettensis Ecclesie Episcopus, obtulit Deo & B. Bonifacio, cuius ipse quòdam fidelis erat discipulus, fratribusq; suis Fuldensibus, in oblationem, villam vnã in pago Sualesfeldensi sitam, Kuchese nuncupatam, vt annuo censu, fratres, pro sui commemoratione, consolationem, & oblectationem, & pitantiam haberent. Et, vt breuiter multa perstringamus, quia omnium Ecclesiarum Gallie, Alemanie, & Germanie Apostolus & prædicator exiit S. Bonifacius, iure ab omnibus gentibus ei soluebatur census. Certè, quàm in Monasterium Fuldense eximia fuerit piorum liberalitas, testatur tres Fuldensium Traditionum libri à clarissimo viro Doctore Ioanne Pistorio publicati. Quis non obstupescat, quando videt maiores nostros fer-*



mè propensiores fuisse ad donandum, quàm hodie nos Nouatores, iuratosque Monachorum hostes ad rapiendum, tametsi profectò rapacissimi sunt, ita ut rapacitas Verris, quam tantoperè in Verrinis M. Tullius exagitat, collata cum horum vngulis & vnguibus, merus ludus iocusque fuerit.

Quærat quis, vtrum aliqui Christianis sacris in Norico & Sualefeldico, seu Svanfeldico tractu initiati fuerint, ante S. Willibaldi & S. Wunibaldi in eas partes aduentû? Respondeo, fuisse; vt ex Hodoeporico Willibaldino, & ex vita Wunibaldina manifestû euadit: sed omnia erant plena vitiis, corruptelis, superstitionibus, rerumq; diuinarû ignorance, Clerus deprauatissimus, ita vt præter nomen parû de Christianismo remaneret. Nec idololatræ penitus euauerat, restantibus hinc inde nonnullis, qui Christo nomina sua nõ tradiderant. Quos omnes Sancti nostri ad meliorem frugem, vel de integro ad Christianam disciplinam reducere viriliter studuerunt, nullis parcentes laboribus, quò Ethnica superstitione & vitiis eradicatis, cultus veri Dei, & disciplina Christiano nomine digna introduceretur & stabiliretur.

## CAPVT XV.

*S. Willibaldus & successores eius sunt Suffraganei & Cancellary sedis Moguntina.*

**V**aldè tenero affectu complexus est S. Bonifacius Episcopatum Eystettensem abs se recens institutum; id cum ex aliis, tum inde apparet, quòd Episcopos Eystettenfes Sedis Moguntinæ Suffrag-

fraganeos & Cancellarios, primasq; ante omnes alios obtinere, & vacante Sede Moguntina, vel procul absente Archiepiscopo, Vicarios eiusdem sedis esse voluerit, pluraque alia priuilegia concesserit; de quibus Philippus cap. 23. Et Pontificale manuscriptum.

Sæpius tamen posteris temporibus priuilegia ista oppugnata sunt, nominatim illud de primatu inter Suffraganeos; nam cum anno Domini M. CC. XLIII. Synodus Moguntia celebraretur; Episcopi Hildesheimensis, Padebornensis & Wormaciensis suæ quique Ecclesiæ, ius primi loci & sessionis ad dexteram, vendicare contenderunt. Quod non ferens Fridericus II. hoc nomine tunc Eystettensis Antistes, ius Ecclesiæ suæ intrepidè defendit, adductis testibus & testimoniis omni exceptione maioribus. Quibus auditis, Archiepiscopus pro Eystettensi præfule eiusque successoribus sententiam *interloquendo* pronunciauit. Postridie Eystettensis Episcopus, vt ius suum ipso opere palam renouaret; Concilio, vice Archiepiscopi, præfedit; & quidem ex Archiepiscopi sede seu folio. *Et die tertia, quia Dominus Moguntinus officium personaliter exequi non poterat, inquit Pontificale, Monasterium in Maiore Ecclesia Moguntia, omnibus qui ibi erant Episcopis sibi cooperantibus, & Rege Conrado presente, gloriosissime dedicauit.*

Similis controuersia mota est in Comitibus Norimbergensibus anno M. CC. XCIX. Conrado huius nominis secundo cathedram S. Willibaldi possidente. Litis auctor erat præsul Wormaciensis; qui primas post Archiepiscopum sibi deberi affirmabat. Sed Conradus animosè restitit, nec quidquam in præiudicium Ecclesiæ suæ fieri passus est, implorata etiam ope

Comitis Hirspergensis, qui Ecclesiæ Eystadianæ aduocatum agebat; vt ex Henrici Rebdorffensis Annalibus annotaui in Indice seu historia Episcoporum, in *Conrado II.*

Verùm vt alia pleraque, ita & priuilegia verustas longinqua mutare solet: id vt videas, varios ordines & indices Suffraganeorum Moguntinensium percensebo, nam in annuis Calendariis hoc ordine eduntur, inquit Serarius noster lib. I. Rerum Moguntia. cap. 23.

## A Dextra

- I. Vormaciensis.
- II. Spirensis.
- III. Argentinenfis.
- IV. Curiensis.
- V. Padelbornensis.
- VI. Halberstadensis.

## A Leua

- I. Herbipolensis.
- II. Eystettensis.
- III. Verdensis.
- IV. Hildesheimensis.
- V. Constantiensis.
- VI. Augustanus.

Habeo de variis rebus aduersaria nescio à quo collecta. quorū Collector ait; Moguntinos Suffraganeos eodem prorsus ordine *in summa arce Moguntina, in höchst in dem Schloß in veteri quodam cubiculo depictos esse.*

Alius ordo est iste ex antiquis monumentis desumptus, tametsi ad hodiernam orthographiam & Nomenclaturam parum compositus.

*Moguntinensis habet XIV. Suffraganeos.*

- |                   |                           |                      |
|-------------------|---------------------------|----------------------|
| * Pragensis.      | I. Episcopus * Plagensis. | VII. Argentiensis.   |
| * Spirensis.      | II. Morauicnsis.          | VIII. * Spueriensis. |
|                   | III. Echisttentensis.     | IX. Vormaciensis.    |
|                   | IV. Herbipolensis.        | X. Verdensis.        |
| * Hildesheimēsis. | V. Castratiensis.         | XI. * Isedemensis.   |
|                   | VI. Curiensis.            | XII. Albestatensis.  |
|                   |                           | XIII. Pal-           |

XIII. *Paldeburnensis.* XIV. *Panpegensis.\** \* *Bambergensis?*

Ex Prouinciali Ecclesiastico profert Serarius hūc ordinem & numerum.

- |                            |                             |
|----------------------------|-----------------------------|
| I. <i>Curienfis.</i>       | IX. <i>Hyldefemensis.</i>   |
| II. <i>Constantiensis.</i> | X. <i>Padelbuernensis.</i>  |
| III. <i>Argentinenfis.</i> | XI. <i>Halberstadenfis.</i> |
| IV. <i>Spirensis.</i>      | XII. <i>Verdensis.</i>      |
| V. <i>VVormaciensis.</i>   | XIII. <i>Pragensis.</i>     |
| VI. <i>Herbipolensis.</i>  | XIV. <i>Olmucensis.</i>     |
| VII. <i>Augustensis.</i>   | XV. <i>Bambergensis.</i>    |
| VIII. <i>Eystettensis.</i> | XVI. <i>Hauelbergensis.</i> |

Est adhuc in *Ædis* Metropolitanæ sacello quodam australis lateris fenestra, è vitro depicta, inquit Serarius, in cuius medio S. Bonifacius est habitu & pallio Archiepiscopali, ad latera verò sunt ordine inscripta hæc:

FACIUS.

I. <i>Byaga.</i> II. ----- III. <i>Augusta.</i> IV. <i>Curia.</i> V. <i>Constantia.</i> VI. <i>Argentina.</i> VII. <i>Spira.</i>	S. BONI		ARCHIEPISCOPIVS	I. <i>Morauia.</i> II. <i>Babēberga.</i> III. <i>Herbipolis.</i> IV. <i>VVerda.</i> V. <i>Paderbruna.</i> VI. <i>Haluerstad.</i> VII. <i>Hildesheim.</i>
--	---------	--	-----------------	--

Quæ verò hic secundo loco ad dexteram vrbs deest, *Eystadium* siue vt olim vocabatur, *Aureatum* esse videtur, licet atrore puluereque obsitum, à me legi cminus non potuerit.

Ja arce *Aschaffenburgensi* in aula, seu, vt Germani vocant, *Sala* in trabe, quæ per totam aulam porrigitur, hoc ordine Suffraganeorum *Moguntinensium* stemmata & digmata descripta sunt.

I. Her-

- |                        |                            |
|------------------------|----------------------------|
| I. <i>Herbipolis.</i>  | VII. <i>Hildisheimium.</i> |
| II. <i>VVormatia.</i>  | VIII. <i>Aichstadium.</i>  |
| III. <i>Spira.</i>     | IX. <i>Padeborna.</i>      |
| IV. <i>Argentina.</i>  | X. <i>Curia.</i>           |
| V. <i>Augusta.</i>     | XI. <i>Halberstadium.</i>  |
| VI. <i>Constantia.</i> | XII. <i>VVerda.</i>        |

In vita S. Godehardi cap. 9. hoc ordine enumerantur Suffraganei Sedis Moguntinæ, in Synodo Francofortensi synodicè confidentes. *VVernerus Argentiniensis, Bruno Augustensis, Meginuercus Patherbornensis, Eberhardus, Bauenbergensis; Meginhardus VVirziburgensis, Godehardus Hildisheimensis; Branthous Halberstadiensis; VVigerus Verdensis, Hazecon Wormaciensis.* Vbi Eystettensis Suffraganei nulla est mentio, nec Spirensis; sine dubio eam ob causam, quòd neuter dicto Cõcilio interfuerit.

In Synodo Prouinciali anno M. D. XLIX. hoc ordine confederunt.

<i>Herbipolis</i>	} per legatos	<i>Eychstadium in persona.</i>
<i>VVormacia</i>		<i>Constantia</i>
<i>Spira</i>		<i>Augusta</i>
<i>Argentina</i>		<i>Padeborna</i>

*Hildisheimium, Curia, Halberstadium, Werda, nec per se, nec per legatos.*

Vides ergo sæculis posterioribus à S. Bonifacii voluntate & ordinatione recessum esse: ad quam omnia reuocare, & in antiquum statum restituere, meritò conantur Illustriissimi Præsules Aichstadiani, S. Willibaldi legitimi successores.

Porro, vt hoc obiter quoque moneam, nomine *Suffraganeorum* non intelliguntur hic *titulares illi Episcopi*, quos Germani ab initiando & consecrando vocant.

eant, *Weihbischöff* / qui sunt Episcoporum adiutores,  
 & in Episcopalibus functionibus cooperatores seu  
 Vicarij; sed Episcopi, qui Metropolitano alicui sub-  
 sunt: Tales enim iam olim *Suffraganei* nominabantur  
 partim quia à Metropolitano ad Synodū vocati suf-  
 fragij ius in ea habebant, partim quia non nisi Metro-  
 politani suffragio consecrari poterant. Illi alterius ge-  
 neris Suffraganei olim *Chorepiscoporum* nomen habe-  
 bant, vt in lib. de Clericis cap. 17. docet Illustrissimus  
 Cardinalis Bellarminus; quorum vsus præcipuè in  
 Germania; vbi Episcopi simul sunt sacri Romani Im-  
 perij Principes amplissimis Dioccesibus præfecti, non  
 tantum quoad spirituales iurisdictionem, sed etiam  
 quoad temporalem. Quocirca necessariò adiutori-  
 bus egent, in quos partem laborum transferat, exem-  
 plo Moysis, qui cum regendæ tantæ multitudini &  
 audiendis omnium querimoniis litibusq; definien-  
 dis solus non sufficeret; socios sibi adsciuit, cum qui-  
 bus occupationes partiretur. Quis autè ex Eystettēsi-  
 bus Episcopis primus exstiterit, qui Suffraganei opera  
 vti voluerit, mihi non liquet. Sub Episcopo Gabriele  
 ab Eyb inuenio Suffraganeum *Fabianum*: Pòst, *Anto-  
 nium*, Deinde, *Leonardum Hallerum*, quem subsequens  
 videtur *Wolfgangus Hollius*. Huic successit *Lauren-  
 tius Eyzephius*: qui pedum mitramq; reliquit D. Li-  
 resio. In cuius locum subiit, qui hodie viuit, pietate  
 in Deum, & erga homines humanitate eximius, Re-  
 nerendissimus Dominus *Georgius*.

De Cancellarij nomine, significatis, munere & di-  
 gnitate nihil libet dicere post Serarium, quem consu-  
 le lib. 1. rerum Moguntiacarum cap. 29. Vulgò no-  
 tum est, quæ sit in aulis & Rebus publicis Cancellario-  
 h rum

rum dignitas, quod officium, & infra fortassis, cum de Academico Cancellariatu sermo erit, aliquid amplius dicetur.

## CAPVT XVI.

*De Rationali Episcopis Eychstettensibus à  
S. Bonifacio in signum primatus inter  
Suffraganeos concessio.*

**D**E hoc Philippus ca. 23. & totidem ferme verbis in historia S. Walpurgæ ad Reginam Hungariæ, quæ audias licet. Concessum est (Willibaldo) cum privilegij attestatione, & in his, & in aliis Deo digna gerendis, ipse omnesque successores eius, Eystettensis Ecclesia Pontifices, cum necessitas, aut tempus exigeret, specialiter præ aliis sanctæ Moguntina Sedis Suffraganeis, vicem Archiepiscopi gereret, & tanquam præfata sedis Cancellarius & prolocutor Concilij à dextris Metropolitano proximus assideret; in cuius dignitatis euidenciam vestitura magni ac mystici ornatus ei concessa est, nec non omnibus ritè succedentibus, præ cunctis Episcopis, qui de linea Moguntina derivationis computantur. Est autem vestis illa Rationale, quo & summus Pontifex accedens ad Sancta Sanctorum, olim superuestiebatur. Habebat autem Rationale summus Pontifex in lege veteri in præfiguratione multa perfectionis. Pontificibus verò noui Testamenti quibusdam conceditur, in exhibitionem consummate virtutis, quæ gratia & ratione perficitur, unde & rationale nuncupatum est. Hæc Philippus. Sed quale vestimentum Rationale? Pallium esse non patet; nam Pallium à solo Pontifice Romano conceditur, nec nisi Archiepiscopis; nisi fortè pauculos Episcopos excipere velimus, quibus pallij gratia tributa

buta est: in quibus tamen paucis nemo vnquam Antistitem Eystettensem numeravit. Verùm de pallio copiosè & accuratè differentem consule Serarium, lib. 3. rerum Moguntiacarum Notatione 26. ad vitam S. Bonifacij.

Si ergo hoc insigne non est pallium Archiepiscopale, quid ergo erit? Philippus tale quid credidisse videtur, quale in veteri Testamento erat Stola Hieratica seu Pontificalis, quæ erat vestis ex auro, hyacintho, purpura, cocco bistico, & bysso retorta, in cuius anteriore parte ad pectus dodrantalis lacuna erat, quam ex eadem materia, sed duplicata, explebat quadratum quoddam, quod spithamam seu palmum maiorem, aut duodenos digitos longum & latum fuit. Visebatur in eo pretiosissimi lapides duodecim, & in singulis singulæ tribus Israël inscriptæ. Vocatur hoc quadratum, Pontificis ornamentum, ab Hebræis *Chosen*, à Iosepho *Essen*, à 70. Interpretibus *λόγιον*, à D. Hieronymo, *Rationale*, & *Pectorale*, quia erat ad pectus, & ante pectus. Simile quid Philippus cogitasse videtur de peculiari veste à S. Bonifacio Eystettensibus Præsulibus concessa. Hinc etiam *Rationale* nominavit, & hoc nouum *Rationale* per illud veteris Testamenti explicare & illustrare voluit: minime tamen nescius, ingens discrimen fuisse inter *Rationale* illud Aaronicum, & hoc Bonifacianum, quod licet non sit pallium Archiepiscopale, est tamen affine quiddam, non abs re *Rationale* appellatum; Monet enim, Episcopum omnia cum ratione & iudicio aggredi & agere, totumque eius obsequium *Rationabile* esse debere ex Apostolico S. Pauli

præcepto.


h 2

CAPVT

*Serar. in Diffus.  
de Sacordatione  
Iohannis.*



*De Monasterio per S. Willibaldum  
Aichstadij condito.*

 Lim non pauci Episcoporum, maximè ex illis, qui ex Hibernia & Britannia in Germaniam veniebant, Monasticam vitam ante Episcopatum profitebantur; qui etiam Episcopi facti eadem professione se non abdicabant, institutis congregationibus & collegiis, quæ & erant & nominabantur Monasteria, eorumque professores Monachi. Huiusmodi Monasterium ipse etiam S. Willibaldus Aichstadij, in noua sua dioecesi instituit, Monachus ipse, & Monasticæ vitæ ex disciplina Cassinensi accuratus obseruator & custos: de quo Hodæporicum Willibaldinum. *In loco, qui dicitur Eystet, Monasterium construere incipiebat, atque ibidem sacram monasterialis vitæ disciplinam in usum prioris vitæ, quod videndo ad S. Benedictum, & non solum ibi, sed & in multis Monachorum mansionibus, quas ipse solers & sophyrus, vasta per rura rimando explorabat, illorum cata normam veneranda vitæ conuersationem in semetipso ostendendo, exercebat. Et cum paucis adhuc ibidem operariis latum atque spaciosum diuina segetis campum sacra superni verbi sata serendo, usque ad messem perducebat.*

*Ibidem de fructibus ex cultura Boici agri relatis. Latè ille per vastam Baioariorum prouinciam, aratra trudendo, sata serendo, messem metendo, cum multis messorum operariis, per vitreos Baioariorum campos, cum Ecclesiis atque Presbyteris, Sanctorumque reliquiis digna Domino delibat dona.*

*Vita Wunibaldina de S. Wunibaldo. Venit ad Monaste-*

nafterium, quod dicitur Eichstat, ad fratrem suum Episcopum  
Vvilibaldum. Reginoldus seu quisquis est Auctor;

Nouum Christi antistitem Vvilibaldum ad cathedram suae  
sedis remittunt. Vbi quāta monasterio constructo, seipsum ab-  
stinentia macerauerit, quantosq; vsq; ad vitæ suae terminū, ad  
amorem caelestis patriæ verbis & exemplis accenderit, quoue  
virtutum nitore resulserit, nullus viuentium enarrare pote-  
rit. Quis igitur vnquam peregrinorum ad patronum nostrum  
ueniens victus, aut tegminis petiturus solamen, vacuus ad  
alios pertransiuit? Quis inopum inedia squalore sedatus, ali-  
moniam non inuenit? Quis peccatorum pondere prae-gra-  
uus, dum ei vulnus inflictum ostendit, onerosus accessit?

In ipsa etiam historia Episcoporum aliquoties  
templum, quod nunc primarium, seu cathedrale ap-  
pellamus cum adiunctis domiciliis appellatur *Monas-  
terium*: Et certum est Germanicum nomē *Münster*/  
quo multis in locis Ecclesiæ cathedrales afficiuntur, à  
*Monasterio* descendere, quia primi illi Canonici Mo-  
nasticam vitam profitebantur edocli à primis suis  
Magistris, quorum multi, vt suprā dicebam, Monachi  
erant: Et ipsemet S. Bonifacius Moguntiae in Metro-  
politana sua sede Monasterium condidit, & Canoni-  
cos non nisi Monachos habuit, qui diu in hoc vitæ ge-  
nere perseuerarunt; nā à Mariano Scoto Ecclesia Me-  
tropolitana Moguntina anno M. LXXI. vocatur.  
*S. Martini Monasterium*, & anno M. LXXXI. *Episco-  
pale Monasterium*; & inter Epistolas Manuscriptas san-  
ctæ Hildegardis, quæ post MC. annū floruit, reperiun-  
tur epistolæ Canoniorum Moguntinensium ad san-  
ctam Hildegardem, cum hoc proœmiolo: *Conuentus  
fratrum de domo, &c. Conuentus fratrum de S. Martino. Vi-  
de Serarium lib. I. c. 18. & li. 5. in Ioanne II. Archiepi-  
scopo.*

Otho Frisingensis lib. 5. Chron. cap. 24. de S. Corbiniano. *Per vallem Tridentinam rediens (ex Italia) ac Baioariam ingressus, à Thasilone Duce, eius q̄ filio Theodone benignè susceptus, montem Frisingen accepit: ubi primò Ecclesiam, qua usque hodie cernitur, in honorem B. Benedicti construxit, ac Monachorum ibi sacrum conuentum adunauit. Ergo Frisingæ etiam primi illi Canonici Monasticam vitam profitebantur. Auctor Annalium Colmariensium anno M. CC. LVIII. Combustum est Monasterium Basileense, & magna pars Cinitatis. Rectè, Editor ad marginem: Summum Templum Basileense.*

Philippus noster cap. 23. scribit quidem Monasterium à S. Willibaldo exstructum esse; sed addit *regularis vita & rationabilis obsequij clericos ab illo congregatos, & inibi collocatos.* Quibus verbis haud inficiatur primos illos S. Willibaldi socios & adiutores Monachos fuisse; pro quibus enim nisi pro Monachis Monasterium à S. Willibaldo ædificatum est? Successu tamen temporis à Monastica vita in Templis cathedralibus recessum est, & ad communem Clericorum viuendi rationem itum: à qua tandem ad hanc hodiernam ventum, quando sublata communitate, quilibet succo suo victitat, reditibus, qui pereipiuntur, arbitrato cuiuslibet vel expensis vel reseruatis.

Nec mirum, hæc primaria Metropolitana & Episcopalia Monasteria à Monastico instituto labentibus annis deflexisse, cum idem longè inferiora & minoris dignationis Monasteria fecerint; nam anno Domini M. CCCC. XIX. die XVI. Augusti, Martini V. Pontificis concessu, facta est Moguntia Monachorum S. Albani commutatio in Canonicos. Et eodem seculo, sed posterioribus annis, nempe anno gratia  
M. CCCC.

M.CCCC.LX. *Monasterium S. Viti Eluacensis erectum est in Ecclesiam collegiatam ob diuini cultus augmentum per reuerendum in Christo patrem Dominum Petrum Cardinalem Episcopum Augustensem, vt dicitur in Eluacensi Chronico. Huiusmodi mutationes Abbati Tritheimio bilem aliquando mouerunt. Hinc illa in Chronico Sponheimensi satis stomachosa anno M. CCCC. LXXXV. His serè temporibus Monasterium in Salsa Argentinensis diœcesis ad instantiam apostatantium Monachorum, cooperatione sua quarentium, ab Ordine in seculare collegium translatum est, & ex Monachis malis facti sunt Canonici deteriores; qui votum Deo factum sine causa violantes, mercedem sceleris inuenient.*

*Idem anno M. CCCC. XCV. Eodem anno Monasterium in Odenheim, Spirensis diœcesis, ab ordine nostro fuit translatum in seculares, per consensum Summi Pontificis, ad instantiam apostatantium Monachorum, qui nullam translationis sue causam legitimam habentes, pro veris falsa suggererunt Pontifici. De ipsorum apostatantium proteruo abbate, qui omnis mali fuit occasio, quidam hoc tetra stichon cecinit:*

*Deposui Benedictæ tuam, rapuiq; petrinam*

*Vestem: sic Ditem fallere posse ratus.*

*At mihi nil prodest vestis mutatio, nam me*

*Prodit caluities, & mea lingua leuis.*

*Horum vestigia sequenti Abbas & Monachi in Nuvvylter, Argentinensis diœcesis, de consensu præfati Pontificis Alexandri VI. habitum cum ordine eodem sermè tempore deposuerunt facti ex Monachis malis Canonici peiores. Va impiis.*

*Ita Tritheimius. Interim non obstantibus huiusmodi querimoniis & comminationibus, tales mutationes si sequenter acciderunt; nam ne extra diœcesin nostram*

*nostram*

nostram egrediamur, an non hodiernum Canonico-  
rum Herenriedæ collegium olim fuit Ordinis D. Be-  
nedicti Monasterium? Vt folia in syluis, ita & isthæc  
æui progressionem mutari consueverunt, & mutabun-  
tur, quamdiu mutabilis iste mundus durauerit.

## CAPVT XIIX.

De primo ortu & incunabulis vrbis  
Eystettensis.

**H** Odœporicum Willibaldinum. *Misit S. Boni-  
facius Willibaldum & Sviggerum Comitem  
ad Eystet; ut videret, quomodo sibi placeret. Illam  
regionem Eystet Svitgarius tradidit S. Bonifacio, in redem-  
ptionem anime sue. Et S. Bonifacius tradebat nostro Episcopo  
S. Willibaldo illam regionem, qua adhuc tota erat vastata, ita  
ut nulla domus ibi esset, nisi illa Ecclesia sancta Maria: qua  
adhuc stat ibi, minor, quam alia Ecclesia, quam postea B. Vil-  
libaldus ibi construxerat.*

Ergo locus ille planè desertus & solitarius erat: sed  
mox Monasterio constructo, affluentibus vndequa-  
que qui locum excolere & inhabitare cuperent, nata  
est, quam hodie videmus ciuitas ad Almonium seu  
Alcimulam fluuium, quam à quercubus succis Aich-  
stadium, seu Aichostadium; alij mollius; Eystadium,  
quasi oppidum *succisarum quercuum loco conditum* no-  
minarunt. Hinc quidam Græcissantes *Dryopolim* appel-  
litant. Etiam *Aureatum* audit, in memoriam veteris, &  
ab antiquis vastati Aureati, cuius rudera adhuc exsta-  
re & conspici dicuntur inter hodiernum Eychstadium,  
& oppidum, quod Nassoyelsia vocatur. Hinc etiam  
Episcopatus *Aureatensis*, & Episcopi *Aureatenses*. Et la-  
pis

/f

pis sepulchralis in Basilica primaria hanc inscriptionem præfert. *Hic requiescunt ossa Episcoporum Aureatensis Ecclesie.*

Nomen ergo euerse ciuitatis aliquando ad hanc nouam, multis post annis, conditam à nonnullis translatum est, vt *Aureatum*, & Præsul loci, *Aureatensis*, appellaretur. Quãquam Ioannes Eckius, insignis Theologus, in Oratione funebri Gabrielis ab Eyb Episcopi Eystettensis, existimat nomen *Aureati* ad Ingolstadtum migrasse, ipsumque Ingolstadtum nihil aliud, quàm *Aureatum* esse, ab auro scilicet; quasi dicas, *ein Goldstatt*. De quo suum cuique iudicium relinquo: nam alij aliunde Ingolstadtum deriuant, & plerique eorum ab Anglis; vnde & apud Græcissantes, *Anglipolis*; sicut & *Aureatum*, *Chrysolis*, euasit, & nescio apud quem *Suffraganeus Chrysolitanus*, pro Eychstadiano. Auentino *Aureatum* est *Nassofssta*.

Illud non probo, quod Eckius ait, Aureato veteri, & ab Hunnis euerse suos fuisse Episcopos, cum nulla penitus horum Episcoporum memoria, nulla penitus nomina exstent: neq; credibile sit, omnia omnino interciderere potuisse: cum & aliæ vrbes Episcopales à Barbaris deletæ sint; nominatim Laureacum; cuius tamen Antistites, saltem quidam, ex libris & factis minimè euauerunt. Verùm his omissis dico, Eystadium originem suam debere Monasterio, quod sanctus Willibaldus ædificauit. Nec mirum, ciuitatem ortam ex Monasterio, seu occasione Monasterij. Vnde enim ciuitas Sangallensis in Turgouia, nisi ex Monasterio S. Galli. Vnde Campidona, vnde Werdea Sueuica, vnde alię complures vrbes, pagi, oppida, nisi ex Monasteriis; quibus conditis, statim accurrerunt

i                      aliunde

aliunde alij, constructisque domiciliis loca incolere  
 cœperunt, & indies quidem magis ac magis, donec in  
 vrbes, oppida, pagos excreverent. Jmò B. Rhenanus  
 li. 2. rerum Germanicarum putat hodiernam Argen-  
 tinam originem suam debere Monasterio; nam vete-  
 ri Argentorato destructo, multis annis habitatum est in  
 ruinis antiqui Argentorati, & locus à Palatiolo Regis, qui ibi  
 nonnunquã agebat, (nã iam erat vicus) aut à pradio, Königs-  
 hofen dictus. Verùm Monasterium ipsum nonnihil distante  
 adificatum loco, cui cupiebat optimus quisque ades habere  
 coniunctissimas, muniri cœpit & muro claudi. Itaque ex op-  
 pidulo cœnobiali, nam cœnobium potior pars erat, contractis  
 eò vicis proximis, tanta posteriori tempore est vrbs constitu-  
 ta. Addit Rhenanus, Occasione cœnobiorum in Germanicis  
 prouinciis oppida ista fieri cœpta sunt.

Nectantum à Monasteriis ortum ducebant, sed  
 & iisdem plerumque subiiciebantur; tamen non-  
 pauca ex huiusmodi vrbibus, vbi diuitiis & multitu-  
 dine ciuium inualuerant; excusso subiectionis iugo,  
 in libertatem se afferuerunt, idq; vel vi, vel pecunia,  
 vel fauore Cæsarum, iis præcipuè temporibus, quan-  
 do inter Sacerdotium & Regnum schisma erat, quod  
 sæpius accidit: hoc enim turbulento rerum statu in-  
 suum commodum vsi rem suam faciebant. Qua oc-  
 casione ipsum etiam Turegum seu Tigurum in Helue-  
 tia à Monasterio Turegiensi ad Imperium; ab hoc ad  
 Helueticam confederationem venit. Est autem Ey-  
 stadium in valle amœna duos inter montes, seu, si ma-  
 uis, monticulos, virides & herbidos, quorum alter  
 mós S. Willibaldi appellatur ab imposita arce D. Wil-  
 libaldo sacra. Alluitur vrbs ab Almonio, flumine pi-  
 scium & eximie molis cancrorum non egeno. Tribus  
 subur-

suburbis constat. Indigenæ, ad humanitatem & pietatem propensi sunt, fastus & arrogantia expertes. Vitam, qua mercimoniis, qua opificiis, qua terræ cultura tolerant, præter illos, qui aulicis officiis funguntur, vel Canonorum Collegio, vel alicui Monasterio operam suam locant. Numerosum clerum habet, vt fieri assolet, vbi Episcopalis Ecclesia est.

## CAPVT XIX.

*Templa & Monasteria Aichstadiana.*

**R**imas tenet Templum primarium & cathedrale, à S. Willibaldo exstructum, & Deiparæ Virgini dicatum maius & laxius quàm templum eidem Matri consecratum, quod vnicum vasta illa in solitudine Willibaldus repererat, vt in Hodæporico Willibaldino dicitur. Posteritatem tamē Templum hoc sæpius mutarunt addendo, demendo, ornando, prout cuique successorum Willibaldinorum collibitum erat. Bruschius de Gerocho II. Episcopo. *Construxit magnificam Basilicam Aureatensem.* Idem de Heriberto Episcopo X V. *construxit ex imis fundamentis longè ampliorem & angustiore faciens summam Ecclesiam Aureatensem.* Gundaccarus secundus absoluit Turres summi Templi ab Antecessore suo Gebhardo inchoatas; idem coniunxit ripas Altimylæ ponte saxeo, qui etiamnum durat. Engelhardus XXIV. Episcopus reedificauit ex imis fundamentis summam Basilicam hodie adhuc conspicuam, cum choro S. Willibaldi ad occidentem; quem tamen successoris suo Hiltbrando absoluendum reliquit; qui & absoluit & in eo duos



Sacellanos instituit, quorum numerus postea auctus, ita ut chorus S. Willibaldi proprios Canonicos habeat, qui propriè S. Willibaldi & successorū Cappellani appellantur. Hinc Episcopo solenni ritu sacris operanti tanquam ministri & adiutores adsistunt. Rabano seu Rabanus XLVI. Episcopus *Monasterium Ecclesie cathedralis vetus & ruinosum* inter duos choros, videlicet inter chorum maiore D. Virginis, & chorū S. Willibaldi demolitus est; & patrem ipsius mediam propriis impensis instauravit, designatis certis redditibus, quorum subsidio pars altera perficeretur. Vbi per *Monasterium* intelligere videtur eam Templi partē, quam vulgò nauim vocamus. Denique alij alia in hoc templo vel repararunt, vel exornarunt, Sacellis, altaribus, picturis, & id genus aliis. A Templo primario disiungitur, sed spatio perquam pusillo Sacellum S. Ioannis, quod Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps *Ioannes Christophorus*, Episcopus Eystettensis, vsibus Societatis Iesu deputavit, donec laxius & capacius Templum exstruatur.

II. Est Templum Parochiale D. Virgini sacrum, in quo Marquardus XL. Eystettensis Episcopus Canonicorū Collegium instituit, quod hoc etiam tempore exstat. Puto hoc Templum esse illud, vel saltem esse in loco, & subiisse in vicem illius, quod, ut supra ex Hodæporico Willibaldino dicebamus, S. Willibaldus ex vastatione Attilæ reliquum & relictum in illa vasta eremo, reperit.

III. Templum, sancti Spiritus in Xenodochio seu Hospitali ad ipsum Altimylæ pontem & litus. Ioannes III. hoc nomine, sed ordine L. Episcopus Eystettensis *construxit de novo*, inquit Bruschius, *Xenodochium*

chium Aichstadianum, ut pauperes & agroti haberent commodas habitationes. Nec mirandum, de Templo Leprodochij, aut communis cœmeterij extra ciuitatem in suburbio, quis enim nescit, his locis semper Ecclesias adungi consueuisse? De priore Henricus Rebdorfensis in Annalibus. Anno M. CCC. XLVI. II. Kalend. Augusti obiit frater Henricus filius Gutæ (sic lego ex Codice Manuscripto) fundator domus leproforum extra muros Eystettenses, vir sanctæ vitæ & memoria recolenda.

Intra muros ciuitatis duo sunt Monasteria, alterum vetustius sanctimonialium ordinis D. Benedicti in editiore vrbis loco, vbi olim Templum S. Crucis stabat, quod postea trās latis Eychstadium S. Walpurgæ reliquitis, à S. Walpurga, vt & totum Monasterium, nomen accepit, cuius primus conditor & fundator est Otkerus seu Otkarius sextus Ecclesiæ Eystettensis Episcopus, tamen id postea ab Heriberto XV. Episcopo instauratum, amplificatum, & multis fundis ac prædiis locupletatum sit, non sine ope & opera Leodegarij seu Leutgarij Comitis Lechsmundij. Sub eodem Episcopo Heriberto Templū Walpurginum constructum est, & sub successore Gozmanno solenni ritu consecratum.

Prædicatores seu Ordinis D. Dominici Professores, Eychstadij sedem fixerunt sub Conrado huius nominis secundo Episcopo, pia liberalitate Sophia Comitissæ Hirsbergicæ, fratrumque Gebhardi & Gerardi Comitum Hirsbergenfium.

Accessit nuper admodum Collegium Societatis Iesu, cura & studio Reuerendissimi & Illustrissimi Præfulis ac Principis Ioannis Christophori à VVesterstetten, qui Collegium Willibaldinum iam antea pro Seminarij

minarij Professoribus ædificatum, Societati Iesu attribuit.

Extra ciuitatē ad Altimylam occurrit Marięstein, quasi dicas, *lapis seu saxum Marię*, Monasterium Monialium conditum à viris nobilibus, præfidente Ecclesię Eystettenfi Wilhelmo L. I. Episcopo.

Paululum, si inde sursum ad Altimylam progrediaris, inuenies Rebdorffum Monasterium Canonorum Regularium S. Augustini, cuius conditor & primus fundator est Conradus XXIV. Episcopus Eystettensis. Nobilem in primis & manuscriptis Codicibus instructam Bibliothecam habet. Disciplinam huius Coenobij mirificè prædicat noster *Claudius Iaius*, vnus ex decem primis Patribus Societatis nostrę, in epistola quadam ad Ioannem Cochlæum, cuius ipsemet Cochlæus meminit in defensione Concilij Tridentini contra Caluinum.

In finibus suburbij orientalis fuit olim Monasterium Scotorū, cum Templo formæ cyclicæ & rotundæ, quod à Dominico sepulchro nomē habebat. Monasterium interiit; Templum stetit vsq; ad Illustrissimi *Ioannis Conradi* Episcopi Eystettensis præfultatum; cuius tempore, cum ruinam minaretur, euersum est, sed ea lege, vt eadem forma & magnitudine reparetur & reædificetur. Quod magnanimus ille Princeps morte abreptus cum nō perfecisset, successoribus perficiendum reliquit.

Caussa, cur variis in locis Germaniæ Scotis Monasteria exstructa sunt, alia non est, quàm gratitudo Germanorum erga bene de se meritos: quia enim ex Hibernia, quæ antiqua Scotia appellabatur, & ex ipsa Britannia, cui Angliæ nomen est, (cuius Aquilonaris pars

pars hodie Scotia dicitur) varios diuini verbi concionatores acceperant, æquum censuere, vt iisdem fixa & stabilia domicilia figerent, quò se, si fortè necesse foret, reciperent, & vnde in agrum Dominicum operarij copiosi emitterétur. Qua de re audiamus Auentinum lib. 6. Annalium Boiorum. *Hibernia apud maiores nostros sæcunda religiosissimorum doctissimorumq; vatũ fuit. Inde Columbanus, Chilianus & plerique alij in Germaniam migrarunt, Scotos nunc nuncupant. Diuus hinc Marianus cum sex condiscipulis Reginoburgium deuenit, in templo extra mœnia urbis habitauit. Magnus eò gentilium eius numerus, beneficentia Boiorum prouocati, breui confluxere, intra mœnia, vt dixi, templum amplissimum bonorum operum extruunt, ubi difficilioris religionis obsequio, castimoniarum abstinentia satis ardua, scribendo, docendo, maximam sibi gloriam conquirunt, spectatum satis magnum exemplum pietatis, non solum Boijs, sed & finitimis erant. Omnibus placebant, vno ore omnes omnia bona de ipsis dicebant, fama que hac impulsus Henricus Dux Boiorum, Fasium veterem Romanorum Coloniam, quam nunc Viennam vocant, instaurat, Scotis templum dicat. Sanctinum cum quatuor & viginti socijs Reginoburgio Viennam emigrare iubet. Valdobrunnus de Rauchs bouen Aichstadij suburbanum templum, rotundumque extruit; Gerardo cum condiscipulis Reginoburgio euocato tradit. Emericus quoque VVirzeburgensis Episcopus Macarium ad primè doctum, abstemiumq; è Boiaria accersit, eidem, atque Conphilosophis templum in vrbe condit, Gregorius & Charus primarius D. Petri Reginoburgensis Antistes, Conrado Cesari, Gertrudi uxori eius à sacris fuere, ab hisq; Noreoberge templum D. Aegidij accepere. Vbi post eos Dedanus, Capellanus Imperatoris Friderici I. à fundamento Scotis popularibus suis Monasterium extruxit. Hæc Auentinus.*

Eius

Eiusmodi Monasterium Scotorum erat olim quoque Argentorati S. Thomæ Apostoli tutela clarum, & conditum, ut aiunt, à Florentio III. Argentinensi Episcopo, natione Scoto, hoc est, Hiberno, qui ex patria cum aliquot sociis Euangelicæ doctrinæ disseminandæ gratia venerat. Vide Guillimannum libro de Episcopis Argentoratensibus in *Florentio*. Postea tamen Monasterium hoc in Collegium Canonicorum vertit; & pluribus locis coenobia ista interiøre non solum vbi hæresis rerum moderatur habenas, sed & apud Catholicos, siue id acciderit penuria incolarum, siue neglectu religiosæ disciplinæ, siue alia de causâ. Etsi autem dubium non est, talia Xenodochia, seu diuersoria, seu hospitalia (sic enim nominantur etiam in vetustis monumentis) primitus ædificata fuisse præcipuè pro Hibernis, qui veteres Scoti erant, vel potius pro omnibus, qui ex Britânicis Insulis in Germaniam fidei propagandæ gratia se contulerant, posteris tamen temporibus soli Scoti iuniores, qui veterum Scotorum, hoc est, Hibernorum colonia sunt, & septentrionalem Albionis (quæ nunc Anglia) partem tenent, ius in Scotica Monasteria sibi vindicarunt, & hoc itidem æuo vindicant, neque vllum, nisi fallor, Hibernum aut Anglum suam in congregationem cooptarent. De Scotorum in Germania Monasteriis vide etiam Hundium in Metropoli Salisburgensi p. 266.

Nunc vallis planitie relicta, adscendamus in montem S. Willibaldi, vbi statim nostros in oculos incurret *Ars Willibaldina*, sedes Episcoporum Eystertensium, condita primùm à Bertholdo XLV. Eystertensium præfule. Quam successores amplificarunt, & ad eam, quæ hodie visitur, magnificentiam adduxerunt, potif-

potissimum Martinus à Schauumberg, Ioannes Conradus à Gemmingen, & qui hac ætate thronum S. Wilibaldi insidet, Reuerendissimus & Illustrissimus Presul & Princeps Ioannes Christophorus à VVesterstetten. Et quamuis mons ille totus Saxosus, fermè dixeram, Saxeus sit, ita tamē arte & industria excultus est, vt hortos amoenissimos, & in hortis omnis generis exoticos fructus, flores, plantas non desideres, vt non immeritò eximius poëta & Medicus Philippus Menzelius, Ioannem Conradum Episcopum alloquens cecinerit.

*Ingeniine tui felix pradiuitis vber  
Ignorare potest, si quis saxa aspera dumis  
Et Bilibaldiaci iuga verticis, alba pruinis  
Respiciens penè assiduis, miretur agrestem,  
Te subigente, loci genium mutasse, tuoq;  
Dadaleo cultu, nunc ferre, quod India mittit,  
Alcinoi supraq; hortos, Pesti q; roseta.*

In Arce sacellum Aulicum erat, sacra supellectile valde opulentum, quod non ita pridem cum parte quadam Arcis deiectum est, vt capacius, amplius & augustius resurgat.

## CAPVT XX.

*De viris doctis, qui Aichstadij  
claruerunt.*

**N**on dubito, fuisse semper aliquos Aichstadij præstanti doctrina Theologica vel Iuridica viros, maximè cum superioribus sæculis illi etiam ab Episcopali tiara non excluderentur, qui ingenium seueriorum disciplinarum cultu perpoliissent; & titulis quoque ac honoribus Academicis insigniti essent.

k

essent.

essent. Quare in Catalogo Episcoporum Eystetten-  
sium non vnum Doctorem inuenies. Mihi tamen vel  
omnes, vel certè plerique ignoti sunt; quibus mea  
ignorantia, & ex hac profectum silentium, nihil præ-  
iudicabit, nec quidquam de gloria, quam meren-  
tur, decerpit. Duo ex illis, qui Illustrissimi Martini à  
Sohauumberg Episcopatum antecesserūt, instar om-  
nium erunt; Ioannes Cochlæus, Canonicus aliquan-  
do chori Willibaldini, & Kilianus Leib, Prior Reb-  
dorsensis, quorum prior tot libris totq; pugnis coa-  
tra hereticos cominus & eminus initis tam illustris est,  
vt etiam obscurissimum quemq; locum sua luce col-  
lustrare, & depulsis tenebris lucidum efficere possit.  
Quis enim Christiani orbis angulus est, quò Cochlæi  
nomen non penetrauerit? Alter verò trium lingua-  
rum Latinæ, Hebraicæ & Græcæ peritissimus, multa  
in tunc exsurgentem & inualecentem Lutheranam  
sectam scripsit, etiam vernacula lingua; quorum non-  
nulla in lucem deprompta sunt; alia, & quidam po-  
tiora, seruantur adhuc manuscripta partim Rebdorf-  
sij in Monasterio, partim in Bibliotheca Episcopali,  
digna sanè, quæ aliquando publici iuris fiant.

Jacobus Gengerus Medicinæ Doctor, & Physi-  
cus Eystettensis erudicum Commentarium de *Peste*  
edidit, & Episcopo Mauricio anno M.D.XLVII. in-  
scripsit.

Cum Illustrissimus Præsul Martinus statim post  
absolutum Concilium Tridentinum, conuenienter  
Decreto sess. 23. cap. 18. de Reformat. sua in ciuitate  
Eystettensi, Seminarium Clericorum erexisset, adie-  
ctis scholis tam humanioris, quam seuerioris illius  
Philosophicæ & Theologicæ literaturæ, nõ defuerūt,  
viri

virī docti, qui insigni Principis optimi liberalitate in-  
uitati, in Willibaldino Seminario seu Collegio profi-  
tendi munus expeterent, & susciperent; quos inter  
fuit *Rudolphus Klenckius*, Saxo, Doctor Theologus L.L.  
Licentiatus, primus Præses & Professor Collegij Wil-  
libaldini. Quo in munere cū aliquot annos posuis-  
set, Ingolstadium ad professionem Theologicam re-  
uersus est. Dico, *reuersus*, quia etiam priusquam Eych-  
stadium migraret, in Academia Ingolstadiensi Theo-  
logiæ Professor fuerat.

Huic adde Adamum Ort, Theologiæ Doctorem,  
postea Canonicum, & tandem Præpositum Ecclesiæ  
cathedralis Ratisbonensis. Nec omittendus *Petrus Ste-  
nartius*, qui pluribus annis docendo & Præsidis munus  
obeundo Collegium hoc illustrauit, donec anno Do-  
mini M. D. L. X. X. X. I. V. Ingolstadium ad geminam  
cathedram, Mauricianam scilicet & Academicam,  
vocatus est, post aliquot annos Academiæ itidē Pro-  
cancellarius constitutus.

Huc spectatiure suo *Laurentius Eiszephius* Doctor  
Theologus & Professor in Academia Ingolstadiensi,  
simulq; Parochus Marianus, vir excellenti eruditione,  
& facundia in dicendo ex superiore loco ad po-  
pulum: qui Suffraganeus seu Proëpiscopus Eystet-  
tensis creatus, simul etiam docendi in Willibaldino  
Seminario prouinciam suscepit.

Accedat tandem *Robertus Turnerus*, vir disertissi-  
mus, qui cū in Academia Ingolstadiensi iam Doctor  
Theologiæ, & maiori pulpito idoneus, Rhetoricam,  
Ethicam, & quæstiones ad Christiani hominis offi-  
cium pertinentes, seu *Casus Conscientiæ* explicasset,  
Eychstadium concessit gratus Reuerendissimo Dño



*Martino* Episcopo; vbi tam Professoris quàm Præsidi officio aliquot annis gnauiter ac industriè functus est.

Post *Turneri* discessum Seminarium indies magis & numero auditorum, & Professorum claritate decrefcere cœpit: & vbi antea Theologia tam controuersa quàm practica, & philosophicus cursus accuratè explanabantur, res ad humaniores literas redacta est, exclusis illis sublimioribus, in quarum cognitione tantum momenti positum esse omnes nouimus. Sed & istæ ægrè admodum se tuebantur. Quocirca Reuerendissimus & Illustrissimus Præsul & Princeps *Ioannes Christophorus à VVesterstetten*, velabenti Seminario & Gymnasio subueniret, Societatem Iesu aduocandam curauit, eiq̃ue Collegium Willibaldinum cum schola tradidit, non ignarus Societatem ita comparatam esse, vt alios aliis Magistris & Præceptoribus substituatur, absq; vllò periculo vel timore penuriæ vel defectus, ex quo fit interdum, vt dum quæritur aptus, nec inuenitur, multum temporis effluat vacantibus scholis, non sine iuuentutis detrimento. Iam Societas more sibi consueto politiores literas, etiam illas, quæ ad oratoriam facultatem pertinent, tradere ingressa est, adiuncta itidem lectione *Casuum Conscientiæ* pro clericis. Bona spe sumus fore, vt gymnasio antiquum decus cum fanore restituatur, optimiq̃ue principis expectationi cumulatè satisfiat.


Ante *D. Eiszephium* Proëpiscopi munere functus est *D. Wolfgangus Hollius* SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ cathedralis concionator, & Collegij Willibaldini Professor, qui anno Dñi M. D. L. XXV. duas conciones de *Indulgentiis & Iubilæo* vernacula lingua

gua publicavit, vt & postero anno quinque alias de venerabili Eucharistia Sacramento, vbi doctè, acuratè & neruosè, rem contra hæreticos gerit, refutatis eorum commentis & pseudologiis. Dicitur etiam alia euulgasse.

Degit hoc ipso tempore Eychstadij in spiritualibus Illustrissimi Præsulis Vicarius & ad S. Willibaldū Canonicus, Dominus *Adamus Gerich*, SS. Theologiæ Doctor, eiusdemq; antea in Academia Ingolstadiensi Professor, vir in Theologicis eximiè eruditus, qui reformandis cleri moribus & diuino cultui per diocesis propagandæ impigrè insistit. Deus tam benè & tam laudabiliter cœptis clementer aspiret.

## CAPVT XXI.

*De Cancellariatu Academia Ingolstadiensis, quo Episcopi Eystettenses perpetuò funguntur. Et de iuramentis quibusdam Academicis.*

 Lim apud Catholicos, cum Academia nouæ instituerentur, semper simul Illustri alicui personæ munus Cancellarij ab Academia conditore cum Pontificis Maximi assensu demãdabatur. Hinc Academia Viennensis Cancellarium agit Præpositus Templi cathedralis seu omnium Sanctorum Tubingensis, Præpositus S. Georgij. Heidelbergensis, Præpositus S. Spiritus. Friburgensis, & Basileensis, Episcopus Basileensis. Lipsiensis, Episcopus Merseburgensis. Francofordiensis ad Oderam, Episcopus Brandeburgensis. Oxoniensis in Anglia, Archiepiscopus

k 3

Ebor-

Eboracensis, Cantabrigiensis, Episcopus Roffensis, & Academia Ingolstadiensis Episcopus Aichstadianus, in cuius Diocesi ciuitas Ingolstadiensis sita est. Quid munus hoc Cancellarij Academici ambitu suo complectatur, qualisque sit dignitas, docuerunt iam olim Incolyæ Iuridicæ facultatis Professores in Academia Ingolstadiensi, nempe anno M. D. XXVIII. in quodam Consilio typis excuso, cui titulum fecerunt: *Consilium super iuribus & præminentia Cancellariatus Studij alicuius generalis; pro Reuerendo Patre & Domino, D. Paulo de Oberstein Proposito Viennensi, & eiusdem Studij Cancellario.* Cui Consilio Ioannes quoque Eckius subscripsit, addita de Cancellariatu Academico nec indocta, nec ineleganti dissertatiuncula. Omissis autem aliis, quæ prædicti Doctores copiosè & eruditè disputant, audiamus eorundem secundam, tertiam & quartam Conclusiones.

II. *Quia Ecclesia Dei multum interest, gymnasia publica & studia priuilegiata erigi, rectè summus Pontifex Cancellarios suos illis præficit, qui nomine suo super promotiones intendant, ne passim indigni, & infideles docendi auctoritatem & magisterium consequantur, & emittantur in oues dominicas, pro ducibus & pastoribus Lupi rapaces.*

III. *Cancellarius à summo Pontifice Gymnasio alicui priuilegiato datus, sicut propter commissionem Vicarius seu legatus eiusdem summi Pontificis rectè dicitur, atq; in magna constituitur dignitate & officio, ita propter commissionis exercitium circa Gymnasium tale perpetuo habendum, speciale nomen iuste sortitur, ab alijs commissarijs Apostolicis per hoc discernendus.*

IV. *Quemadmodum ergo talis Cancellarius debet & tenetur commissionem sibi factam, & auctoritatem acceptam diligenter*

diligenter exequi; ita & praeminentia, iuribus, & prerogatiuis, inde sibi competentibus, potest sine cuiusquam iniuria gaudere atque liberè uti.

Est ergo Cancellarius, ex sententia horum doctorum, vicarius & quasi legatus summi Pontificis, ad hoc praecipuè cõstitutus, vt aduigilet, ne indigni & inepti ad honores & gradus Academicos euehantur, non sine graui Ecclesiae orthodoxae damno. Quocirca Candidatorum examinibus non tantum possunt, sed & debent interesse, quantum quidem est ex prima Cancellariatus Academici institutione; tamen si multis locis nec Cancellarij nec eorum Vicecancellarij examinibus interfunt; sed totam rem committunt fidei & iudicio Professorum eius Facultatis, à qua Candidatus gradum poscit, qui eundem, finito examine, Cancellario sistunt. Et vt Cancellariam aperiat rogant. Possent ipsi etiam per se, vel per suos Procancellarios omnes gradus & honores Academicos conferre; vt fit in nonnullis Academiis, sed consuetudo iam multis locis obtinuit, vt honores Academicos, Magisterium inquam Philosophicum, Doctoratum Theologicum, Iuridicum, Medicum, Professor aliquis à collegio proprio deputatus conferat; prius tamen petita & impetrata licentia à Cancellario, vel Vicecancellario hac enim non obtemperata, nemo ad superiores scientiarum gradus euehi potest; cum quæ Professores quidam Academiae Viennensis nonnullos Academicis honoribus insignire tentassent, partim inscio, partim etiam inuito, & reluctante Viennensi Cancellario, Ingolstadiani Professores Iuris in Concilio supra nominato, probarunt & definiuerunt, huiusmodi promotiones prorsus irritas & inanes censeri debere; neque in Do-

ctoribus

is in Metzradli. Sed aut error in reposit in  
ad Carolam Magnum non spectat; cum certum  
in Magnum. Anno redemptoris DCCCX  
ibe. Credibilis est pertinere ad Carolum  
tingentesimo et octogesimo secundo, sec  
inum; nisi quis extrito unico centena  
uocet ad annum Christi DCC LXX  
Francia regnabat Carolus Magnus.  
nilius apparet.

ctoribus vel Magistris numerandos, qui hac via ad hos gradus adspirassent.

Et quamuis omnes Tituli & honores Academici sint absolutè loquendo in manu & potestate Cancellarij, consuetudine tamen & vsu multarum Academiarum receptum est; vt Baccalaureatu Philosophico, & Baccalaureatu Theologico tam *Biblio*, quàm *Formato* decorentur qui petunt, licet non petita facultate à Cancellario, cui vsus supremos duntaxat scientiarum honores & titulos reseruauit; cui etiam omnes Candidati honorem & obseruantiam iureiurando promittunt, & qui Theologici Doctoratus coronam postulant, inter cætera, hoc itidem iurant, se, quoties opus fuerit, Cancellario *fideliter & veraciter perhibituros testimonium*, de moribus & doctrina eorum, qui summa Theologiæ laurea exornari concupiscunt. Nec tamen Cancellarij, præsertim si sint principes, quales in Germania Episcopi nostri, munus hoc per se, saltem ordinariè, obire consueverunt: sed habent Procancellarios, quibus vices suas demandant. Id videre est in nostra Academia, vbi semper vnus ex Professoribus Theologiæ agit Procancellarium Reuerendissimi & Illustrissimi Præsulis & Principis Eystettensis, perpetui Cancellarij nostri; quo munere functi iam olim clarissimi viri, *Ioannes Eckius, Martinus Eisengrinus, Albertus Hungerus*, & hodie *D. Petrus Stenartius*, & iste Procancellarius simul est **Canonicus** cathedralis Ecclesiæ Eystettensis, suamque in choro stationem habet, licet non in Capitulo, vt nec in Calendario, in quo singulis annis Canonicorum cathedralium nomina & stemmata representantur. Habuit autem Academia nostra à *Wilhelmo* Episcopo, primo Cancellario,

Quel saluo multis annis, (et forsitan  
ab exordio Academiae fuit) ~~Præ-~~  
Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Eystet.  
ensis. Dixi, saluo fuit, quia  
post discessum D. Stenartij ex Acade-  
mia procuratoratus à Canonicum  
se iunctus est; illo in D. Leonem Hen-  
zelium, hoc, ad D. Johannem For-  
nerum delato.

rio, ad hæc vsq; tempora Cancellarios nouenos quasi nouem Musarum eorum; ita vt hodiernus Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps *Ioannes Christophorus à VVesterstetten* sit nonus; cui de nostris annis Deus augeat annos.

Mentio iuramenti, quod Cancellario à Candidatis præstari solet, reuocat mihi in memoriam iuramentum, quo se obligant, qui supremos in Theologia, Iurisprudentia, Medicina & Philosophia honores appetunt. Lutherus & Lutherani sub quinti Evangelij sui primordia perpetuò ad futurum Concilium prouocabant, Concilium, Stentoreis vocibus intonabant. Concilio se aut staturos aut casuros promittebant. At ubi res eò venit, vt iam Concilium indicendum & congregandum esset, tunc apparuit; quo animo ad Concilium appellarint. E vestigio enim resilire, & Concilium indictum horrificis boatibus ad inferos vsq; damnare cœperunt, editis in eum finem plurimis, qua Latinis, qua Germanicis libellis, chartis que & picturis famosis in vulgus absq; numero & modo dispersis; vt hominum cogitationes à Concilio toties & in speciem tam ardentè expetito auerterent.

Inter cætera, euulgauit Lutherus anno Domini M. D. XXXVII. breuem libellum hoc titulo: (exstat Tom. IV. Lat. Ien.) *Cur & quomodo Christianum Concilium debeat esse liberum: Item de coniuratione Papistarum.* In hoc opusculo ad id vnum incumbit Lutherus, vt omnes absterreat, ne ad Concilium indictum eant, vel eidem doctrinam suam subiiciant. Qua de causa verò? Quia non est *concilium liberum.* Cur nò liberum? quia *Doctores, Notarij, & Episcopi, qui interfuturi sunt, iu-*

rarunt in verba & placita Papa, ita ut ne latum quidem unguem inde abscedere possint; nisi tanquam periuri diris denoueri velint: Hoc ut probet Lutherus, profert formulas iuramentorum, quibus se obstringunt Magisterio aut Doctoratu insigniendi, deinde Notarij & Tabeliones, quando solenni ritu ad istud publicum officium inaugurantur. Denique Episcopi, quando eliguntur, & postea à summo Pontifice confirmantur. Ex his iuramentorum formulis apertè colligi ait, nihil cum Papistis effici posse, utpote, qui tot Sacramentis Papa obligatissimi sint, nec contra doctrinam eius mutire audeant.

Omissis aliis iuramentorum formulis de Academico iure in rando duntaxat agam: Id Lutherus, in Academia Ingolstadiensi, & in aliis quibusdam, in hunc modum his conceptis verbis præstari scribit.

Ego N. Scholaris Ingolstatensis Eystetensis diœcesis, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, sanctæ q̄, Apostolica Romana Ecclesia, & Domino nostro Domino Paulo III. ac eius successoribus canonicè intratibus. Non ero in consilio, cōsensu, tractatu vel factu, ut vitam aut membrum perdant, seu quod contra alicuius eorum personam, vel in ipsorum aut Ecclesia eorundem, seu sedis Apostolica auctoritatum, honorum, priuilegiorum, vel Apostolicorum statutorum, ordinationum, reservationum, dispositionum seu mandatorum derogationem vel præiudicium machinationes, vel conspirationes fiant. Et si, ac quoties aliquid horum tractari sciuerō, id ne fiat pro posse impediam, & quando commodè potero, eidem Domino nostro, vel alteri, per quem ad illius notitiam peruenire possit, significabo. Consilium, quod mihi per se, vel per nuncios, seu litteras credituri sunt, ad eorum damnum nemi nipiandam, ad defendendum vel retinendum Papatum Romanum, & regalia S. Petri, contra omnem hominem adiutor ero.

ero. *Autoritatem, Priuilegia & Inra, quantum in me est, potius adaugere, & promouere, statuta, ordinationes, reservationes, dispositiones, & mandata huiusmodi obseruare, & eis intendere curabo. Legatos sedis Apostolica honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adiuuabo. Hereticos, & Schismaticos, & qui alicui ex Dominis nostris & successoribus praedictis rebelles fuerint, pro viribus persequar & impugnabo. Sic me Deus adiuuet & hac sancta Dei Euangelia.*

Ita formula Iuramenti à Luthero prolata. At dubito num candidè & sincerè. I. Quia hanc formulam iurandi non inuenio in antiquis Actis Collegij Theologici, aut Philosophici. II. Quia hodierna formula, & quam ego iam à XXX. annis semper vsurpari video, longè est alia, quæ infrà verbatim recitabitur. III. Quia Lutherus admiscet nonnulla, quæ spiritum Lutheranum satis perspicuè respiciunt, vt est nominatim illud: *Ad defendendum & retinendum Papatum Romanum & Regalia S. Petri contra omnem hominem adiutor ero.* Sed esto: nullam fraudem commiserit Lutherus in hac recitanda nobisque exhibenda iuramenti formula. Omnia salua sint, germana, & genuina. Quæ Luthero tanta furendi & maniaci instar, debacchandi causa? An quia nullum Academicum iuramentum ferre potest? Atqui ipsemet, etiam sua in promotione Doctorali iuramentum præstitit; cuius vi se adactum esse, vt verbum Dei purè (scilicet) doceret, non semel testatur, vt & Encomiastes eius Matthæsius in suis de Luthero concionibus.

Deinde an non à Lutheranis Magistellis & Doctorculis iuramentum exigitur? In Pseudoiubilæo, anno M. DC. II. à Wittebergicis Academicis celebrato, laurea magistrali insigniti sunt LXIV. qui iuue-



nes, qua viri iam prolixo & denso barbitio spectabiles & formidabiles. Quid ab illis ante laurum impostam exactum? Audi. *Expresse & sanctè promittetis vos velle constanter amplecti consensum Ecclesia Catholica Dei traditum in Symbolo Apostolorum, Nicano & Athanasiano, ac comprehensum in Confessione huius Ecclesia exhibita Imperatori in Conuentu Augustano anno M. D. XXX.* Academia ergo Wittebergeni fas erit suos adigere, si non vt iurent, saltem vt sanctè & expresse promittant, se Lutherum & Lutheranismum defensuros; & non licebit Catholicis Academiae Iuramentum à Candidatis exigere, quo se ad sedis Apostolicæ fideique auitæ defensionem & propugnationem obstringant? Scilicet Lutherani de Lutheranismum muniendo diligentissimè circumspicient; neque se eam ob industriam culpari patientur: & Catholici de Catholicismo stabiliendo nullam cogitationem suscipient, & si suscipiant, acerbissimè à Lutheranis linguis ac calamis flagellabuntur, Lutherusque ceu Furiarum stimulis exagitatus, millena conuicia & opprobria ex immundis suis faucibus eruabit?

Præterea, an non Wittebergeni Academia Doctores suæ Theologiæ hac pollicitatione obligat? Et quamuis in ipsa formula verbū iurandi non appareat, appareat tamen in Titulo, qui est: *Formula Iuramenti.*

*Ego N. promitto Deo aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi, conditori generis humani, & Ecclesia sua, cum Filio & Spiritu sancto, me Deo iuuante, fideliter seruiturum esse Ecclesia in docendo Euangelio, sine vllis corruptelis, & constanter defensurum esse Symbola, Apostolicum, Nicanum & Athanasianum, & perseueraturum esse in consensu doctrinae, comprehensæ in Augustana confessione, qua per hanc Ecclesiam*  
exhi-

exhibita est Imperatori, anno M. D. XXX. & latius explicata in eiusdem Confessionis Apologia, Smalcaldicis Articulis, Catechismis Lutheri, & libro Concordia, anno M. D. LXXX. publicato, quibus scriptis omnibus manu & corde subscripsi. Et cum incident controuersiae difficiles & obscurae, non solus, non temerè, sed re deliberata cum aliquibus senioribus, qui docent Ecclesias, retinentes doctrinam Augustanae Confessionis, secundum normam & regulam verbi diuini, atque Christianae fidei pronuntiabo. Ita me Deus adiuet.

Ecce hic expressa promissio Deo fit, atque adeò votum suscipitur, de tuenda & propugnanda Confessione Augustana, de eiusdem Apologia; de Catechismis Lutheri, de Articulis Smalcaldicis, de libro Concordiae, quae omnia sunt Lutheranismi quasi bases & fundamenta. Cur Catholicis Academicis integrum non sit, eos, qui Academicis honoribus insigniri cupiunt, obstringere iuramento, quo spondeant, se & Deo, & Ecclesiae orthodoxae; Christi; que in terris Vicario fideles & morigeros semper fore? Non video certè cur hoc Catholicis non liceat; liceat autem Lutheranis; nisi quia Lutherani omnia sibi, Catholicis nihil licere volunt. Si Luthero aetas protracta fuisset vsque ad formulam profitendi fidem à Pio I V. Pont. Max. praescriptam, quae criminationum plaustra non aduexisset & exonerasset? Quibus verborum boati- bus in Pontificem & Pontificios nõ detouisset, cum iam tot maledicta in utrosq; euomuerit, ob iuramentum Pontifici praestitum; verum an fictum; an decerno: verum enim & genuinum hodieq; vsitatum inferius adscribam.

Sed Lutherus acutè vidit, quo consilio candidatis orthodoxis hoc iuramentum proponatur: cum lon-

(non

gè plures reperiantur Doctores, quàm Episcopi, inquit Lutherus, regnent q̄ in scholis publicis, in Templis & concionibus, sint q̄ Episcoporum Officiales & Vicarij, principum & liberarum Ciuitatum Consiliarij, facile viderunt, si eos obnoxios haberent, eorum opera totum Imperium se oppressuros esse, quod & factum est. Hoc totum quod Lutherus medicissimè de Catholicis deblaterat, verissimè de Lutheranis affirmauero; quorū consilium in huiusmodi promissionum, & iuramentorum exactione non est aliud, quàm vt & vrbes & aulas, & templa & scholas, Luthero addictis Doctoribus impleant, & Lutheranismō totum Romanum Imperium, oppressis orthodoxis, inquinent.

Addit Lutherus. Vnde meritò superiore sæculo nomen Doctorum tam fuit inuisum, vt si vir nobilis Doctoratum recepisset, planè degener existimaretur, hodie q̄ in plerisque ciuitatibus in senatum non leguntur. Si superiore sæculo nomen Doctorum inuisum erat ob iuramentum præstitum, oportet Lutheranos quoque Doctores inuisos atq; exosos esse, quia & ipsi iuramentum seu promissionem faciunt; tantum hoc est discrimen; quod nostri iurant Papæ & Papatui, vt Nouatores loquuntur; isti, Luthero & Lutheranismō, qui statutorum suorum & deliriorum, quæ suis præscripsit, longè rigidior exactor erat, quàm vllus Papa: nam si quem vel modicè aduersus doctrinam suam mutire videbat, illi aut ad Garamantas abeundum, aut assentiendum erat; non dabatur tertium, vt nec hodie datur, quando quis potentioris alicuius præconis somnia non statim adorat.

Cæterum superiore sæculo, hoc est, illo, quod Lutherum antecessit Doctoris nomen fuisse inuisum, & id

id quidem propter iuramentum de fide Pontifici seruanda, vanissimum commētum est; nam ex antiquis illis Academiis Parisiensi, Bononiensi, Oxoniensi, Salmanticensi, aliisque, turmatim Doctores prodibant: quod vt alia taceam, liquidum fit ex Conciliis Constantiensi & Basileensi, ad quæ maxima Doctorum multitudo cum Episcopis aliisque Prælatiſ Ecclesiasticis confluxerat. Neque aliarum nationum Nobiles aut piger aut pudet Doctoratus insignia capessere: vt nec olim Germanos pigebat, aut pudebat, quorum plurimi nobilissimis familiis progeniti cum generis claritudine Academicorum quoque stemmatum & dignitatum honores coniungebant. Nunc alia sunt tempora, & ideo alij mores: nam quod Lutherus dicit; *Doctores hodie in plerisque ciuitatibus non legi in senatum*, id nimis hyperbolicum est; nam vt in quibusdam vrbibus à Senatu arceantur, at hoc non fit in plerisque, vt notum est, & qui arcent, non arcent, quòd Doctoratum aspernentur, sed alias sui facti causas habent, quas vel commemorare vel discutere non est meum. *Velle suum cuique est, nec voto viuatur vno.* Caterùm hoc quidquid est dignitatis, quod quædam vrbes Doctoribus detrahunt, abundè compensatur aliunde; nam in Conciliis & Consiliis, curiis & prætoriiſ Principum, Doctores plerumque sunt primi, aut inter primos.

Mox Lutherus Tartarea aura afflatus crepat *bestias & belluas Romanas, fures, latrones, pestilentes proditores, & proditorum subproditores, vel ipso Iuda sceleratiores. Tyrannos, Antichristos, Antichristi satellites & ministros, fictitium Petrum & Simonem Magum, qui Romæ amplissimum patrimonium possideat, mendaciis, periuriis, latroci-*  
*niis.*

*niis, homicidiis & veneficiis quasitum, & ex meris furtis, rapinis & sacrilegiis constat. Verum hæc & his similia, maledicentiæ spicula vibrare, tam nullius est artis, quàm est nullius ingenij & laboris, ad quæ iacienda, & emittenda nihil aliud requiritur, nisi frons effrons, lingua effrenata & ad quiduis expedita, calamusque erubescere nescius, quidquid tandem papyro illinat, qui pro grandifona sua maledicentiâ candidatum hoc iuramentum præstantem ita affatur. *O teter quater miserum, sceleratum & desperatum, qui ita iuras. O infelices parentes tuos, qui suis te facultatibus & sumptibus in hoc aluerunt, ut anima tua salutem tam impiè deuoueres, sed hoc & omnia alia, quæ ibidem Lutherus declamitat, retorquere licet in Lutheranum Candidatum; qui se ad defensionem, Lutheri & totius Lutheranismi obligat. O teter quater miserum, sceleratum & desperatum qui ita iuras: hoc est, qui iuras te semper secururum & defensurum Confessionem Augustanam, librum Concordiæ, Catechismos Lutheri, & nescio quæ alia fanaticorum Enthusiastarum deliramenta; nam quod de tribus Symbolis Apostolico, Nicæno, & Athanasiano additur, id nihil aliud est, nisi mantelum quo turpitudinem iuramenti non nihil operire tentant; ne si nullo velo tegatur, è vestigio in omnium oculos incurrat: quam enim symbola hæc Lutherani egregiè defendant, & contra omnes aduersarios facta tecta præstet, id inde elucescit; quod si non omnes, certè multos horum symbolorum articulos hæreticis suis sordibus foedissimè collutilant. O infelices parentes tuos, qui suis te facultatibus & sumptibus in hoc aluerunt, ut anima tua salutem tam impiè deuoueres. Si enim hoc (Lutheranum) iuramentum conseruare uoles, contra Christum pro Antichristo**

*fo militabis, Sacramenti, quo in baptismo initiatus & obligatus es, proditor factus: Dixisti enim te renunciare, atque adeo perpetim renunciaturum Diabolo; & istud promissione edita firmasti: & nunc nō modò contrarium agis, sed & directè Diabolo te tradis, & quasi immolas, dum polliceris te Lutheranae doctrinae sectatorem, patronum & propugnatorem perpetuum fore, quae doctrina ab alio Magistro non venit, quàm à capitali salutis nostrae hoste, put apertè testatur Lutherus, saltem quoad doctrinam de Missa, quam à Diabolo sibi traditam & dictatam esse, palam & liberè professus est in libro de Missa angulari. Idem de cæteris Lutheranae synagogae placitis credere quid vetat? Imò nil vetat, sed omnia potius clamant, ea ex eodem fonte fluxisse; ex quo fluxit dogma de Missa. Quare expergiscere tandem, ô Lutherane Candidate, Doctor, Magister, & quanto in periculo verseris, vide, penitentiam age, Deum q̄ precare, ut edicto suo pratorio te in integrum restituat, & iuramentum tam sceleratum aboleat, atque aeterna obliuione obruat.*

Vide autem, quantus cauillator vel potius criminator sit Lutherus. Promittit in formula iuramenti Candidatus se Pontificem & iura eius contra omnem hominem defensurum. Exclamat Lutherus. *Etiame contra Christum ipsum? nam & is, ut verus Deus; ita & verus homo est.* Minimè, mi homo, quia Christus homo, nihil vnquam, contra Pontificem, iniuste acturus est, non est ergo periculum, ne quis contra Christum, Papam tueri cogatur. Nec promittitur, absolutè defensio aduersus omnem, hominem; sed aduersus omnem, illum, qui Papam, & ius Papæ iniuriosè aggressurus, & per nefas inuasurus sit.

fit. Itaque criminatio est, quod Lutherus dicit: *Si Doctor Papisticus iuramentum praestiteris Principi vel Republica, qui habeant aliquid contra Papam, tunc aut prodet Dominum suum, aut violabis hoc iuramentum.* Nihil minus, o clamator: nam qui iurat principi fidelitatem, is tacite subintelligit vel aperte exprimit hanc conditionem: *Salua religione, & iustitia.* Itaque si quis Princeps vel Respublica controuersiam habeat cum Pontifice, quoad dogmata religionis, quid facto sit opus, per se manifestum est. Si contentio sit & quidem iniusta, de bonis temporalibus, iterum liquet, quid amplectendum, quidq; fugiendum sit. Minimè ergo oportet, ut Doctor tali iuramento adstrictus aut fiat sui principis proditor, aut periurus, ut delirat Lutherus. Nec mendaciis, nec dolis, nec fraudibus Papa defendetur; nec iuramentum talem defensionem exigit; quia non exigit nisi honestam & licitam; & qualis à bono viro adhiberi potest, illæsa conscientia, existimatione & fama.

Verùm ut verbis compendium fiat, non dolet Lutherus iurari; dolet Pontifici iurari: hoc illi intoleranda crux est; hoc, immane cordolium. Sibi & suis factæ, si vel mille iuramenta iurari videat, non excandescet, multò minus insaniet, sed bonum factum interpretabitur. Nunc dimisso Luthero vide & lege iuramentum hodie vsitatum & candidatis Magisterij vel Doctoratus proponi solitum, ut eo sese obligent: nam Candidatos hunc in modum affatur Notarius Academicus:

Ornatissimi Domini Candidati antequam ad ulteriora procedatur, iurabunt singuli ad manum Magnifici Domini Rectoris, in formam sequentem.

Ego

Ego N. scholaris Academia Ingolstadiensis, Eystettensis Diæcescos ab hac hora à Christiana Catholica fide non desiciam, & omnia, ac singula, qua in Bulla Pij IV. in quam nuper iuravi, continentur, constanter vsque ad extremum vita spiritum me per gratiam Dei seruaturum promitto, spondeo, ac iuro.

Inuidiosissimum item Imperatorem nostrum Dominum Matthiam I. & successorem eius quemlibet, ritè ad præscripta Bulla aurea electum, caput Imperij agnoscam, ab eoque non desiciam, caueboque perquam diligenter in negotiis, & causis omnibus, ut à crimine læsæ maiestatis absim. Legatos quoque utriusque tam Ecclesia, quam Imperij Monarcha honorificè tractabo, & decentem illis honorem impendam. Non ero in consilio, causa, tractatu, vel factu, ut vitam, aut membrum perdat. Neque persuaderi me patiar, ut cum Imperij hostibus coniungar, aut Imperatoria Maiestati palam reclamantibus inuoluar.

Quilibet ad manum Magnifici Domini Rectoris dicat:

EGO IURO.

CAPVT XXII.

De morte, scriptis, festo & Reliquiis  
S. Willibaldi.

**M**ror, Trithemium in opere de viris Illustribus Ordinis S. Benedicti bis posuisse Willibaldum, quasi geminum crediderit; semel lib. 2. cap. 25. his verbis. *Willibaldus Monachus & Presbyter, discipulus B. Bonifacij Moguntini Archiepiscopi & Martyris, vir in diuinis scripturis eruditus, & secularium literarum non ignarus, ingenio clarus, & disertus eloquio: non mi-*



nus religionis honestate, quàm doctrina venerabilis: scripsit ad Lullum Archiepiscopum successorem S. Bonifacij, vitam & passionem eius, librum unum. Fertur & alia ingenij sui monumenta reliquisse, quæ in manus meas non venerunt. Claruit anno Domini septingentesimo septuagesimo.

Iterum lib. 3. ca. 187. Willibaldus I. Episcopus Eistettensis, à B. Bonifacio ordinatus, filius Regis Anglorum Richardi, cum patre & fratre regnum terrenum contemnens, pro amore Christi peregrinus factus, multis effulsit virtutibus. Hic cum esset quinque annorum, in monasterio, quod Waldheim vocatur, traditus est: in quo multum proficiens, vir doctus & sanctus euasit. Post plures verò annos patriam deserens, venit Romam, ac deinde Hierosolymam: visitatis quæ multis sanctorum locis, tandem Monachus Casinensis efficitur, decimo peregrinationis sue anno. Tandem à Gregorio Papa Tertio in auxilium Bonifacio Archiepiscopo dirigitur, & in Eistettensis Ecclesia presulem consecratur. Eius vita scripta est. Claruit anno Domini septingentesimo quadragesimo. Cuius festum octauo Idus Iulij colitur.

Hæc Trithemius; quæ non immeritò suspicionem iniiciant, Trithemium duos Willibaldos statuisse. In Catalogo tamen Illustrium scriptorum Germaniæ vnus & idem Trithemio Willibaldus est is, qui vitam S. Bonifacij scripsit, & primus Eystettensis Episcopatus honorem adeptus est. Audi Trithemium. Willibaldus Presbyter S. Bonifacij, & Monachus diuini Patris Benedicti, frater S. Valpurgis Virginis & Abbatissa Heydenheimensis, ac postea Episcopus Eystettensis, vir doctus atque sanctissimus, ingenio promptus, & dulcis eloquio, scripsit, iubente S. Lullo, Moguntino post Bonifacium Archiepiscopo, vitam eiusdem sanctissimi martyris Bonifacij lib. II. & quasdam, ut fertur, ad deuotos seruos Dei epistolas. Claruit sub Pipino

*Pipino patre Caroli Magni Imperatoris. Anno Domini DCC. LX.*

Eadem fermè verbatim Trithemius in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, nisi quod Willibaldum nominat *Scotum*, cum Scotus non fuerit, siue Scotum accipias pro Hiberno, siue pro septentrionali Albionis seu Britanniae incola, quia Anglus seu Anglosaxo fuit, vt suo loco probauimus. Ex scriptis ergo S. Willibaldi Trithemius nihil vidisse videtur præter vitam S. Bonifacij quam in duos libros diuidit, cum vita Bonifaciana à S. Willibaldo scripta, vnico libro comprehendatur & absoluatur.

Quid verò Balæus? Omissis conuiciis quibus beatum Willibaldum impetit, *Villibaldus Denonius*, inquit, *ex illustribus tam Orientalium, quàm Occidentalium Anglorum ortus familiis, Bonifacij discipulus ac nepos, magno sub eo labore ad artium humanarum studia se totum conferebat. Ingenium habebat, Historiographorum testimonio, omnibus Musarum redolentiis apertum, memoriamque non infelicem. Protulit Villibaldus ad Lullum tunc Moguntinensem Archiepiscopum, vitam Venesfridi Bonifacij lib. 1. vitam VValpurgæ sororis lib. 1. Epistolas ad Monachos li. 1. Feruntur & alia; sed illa non vidi. Vidisti ergo vitam S. Walpurgis scriptam à Willibaldo, eiusdemq; ad Monachos Epistolas? Dic, oro, bona fide, si quæ tamen bona fides in te est, vidistine prædicta opuscula?*

Scriptit Willibaldus *non ineleganti sanè stylo*, inquit Centuriatores Cent. 8. c. 10. *Vitam Bonifacij, librum vnum, quem ante editionem Lullus & Megengādus inspexerunt & approbarunt. De vita VValpurgæ librum vnum, & epistolas plures ad Monachos. Certum est auté Commentarium illū de vita S. Bonifacij elaboratum esse à Wil-*

libaldo, cum iam ad Episcopale culmen euectus esset; quia post Martyrium S. Bonifacij scripsit. Cur ergo in Titulo se nominat *Presbyterum*? Puto id studio submissionis accidisse. Quanquam satis se Episcopum fuisse declarat, quando Lullum & Mengozum seu Megingandum *Coepiscopos* suos appellat. Scripsit Willibaldus hanc de S. Bonifacio lucubrationem rogatus Episcoporum, quibus illam dedicat; praesertim Lulli Archiepiscopi. De quo Manuscriptus Codex apud Serarium lib. 3. rerum Moguntiacarum. *Audiens beatus Lullus S. Bonifacij Martyrium, studuit quatoeque hoc insinuare viro sancto & docto Coepiscopo suo in Eychstete Willibaldo, rogando, ut magistri ipsorum vitam, cuius ipse opera plenius nosset, stylo dignaretur annotare, ne ipsorum negligentia, tanta Ecclesia lucerna sub modio celaretur, sed magis supra candelabrum posita, cunctis post futuris hominibus lumen vitae ostenderet. Quod idem sanctus Praesul. V. Willibaldus diligenter adimpleuit.*

Laudant Centuriatores Cent. VIII. cap. 10. Lullum, quod Willibaldum ad vitam Bonifacij scribendam excitavit. Quod mihi mirum accidit, cum res gestae a S. Bonifacio ipsis subinde stomachum non modo moueant, sed & propemodum euertant, quas proinde vel suae quietis & incolumitatis gratia, altissimo silentio prorsus obrutas fuisse optare debebant, quam commendare Lullum, quod eas a Willibaldo publica lucubratione propalari voluerit.

Hec iam commentatus fueram, cum Ecce incido in *Sidera illustrium & sanctorum virorum, qui Germaniam praesertim Magnam olim gestis rebus ornarunt; quae denuo accendit & lucere fecit R. P. Christophorus Brouerus notiter, qui in Notis ad S. Bonifacij & S. Gregorij vitam in-*  
dubium

dubium reuocat, num vita S. Bonifacij, quæ S. Willibaldi nomine circumfertur, ex officina S. Willibaldi prodierit; idque non sine verisimilibus argumentis, nam scriptor iste in prologo, & cap. I. dicit, se de S. Bonifacio litteris mandare, quæ ab aliis acceperit; quæ verò ipse viderit, vel notarit; meminisse nulla; quod non videtur quadrare in S. Willibaldum, discipulum sancti Bonifacij, & tot annorum contubernalem, qui rerum à S. Bonifacio gestarum pars magna fuit.

Sed responderi potest, Willibaldum ideo non professum esse, quod etiam visa ab se litteris mandare vellet, quia credebat, nemini dubium fore, quin hoc facturum esset, utpote multorum annorum discipulus, & rerum gestarum oculatus testis.

II. Non est credibile S. Willibaldum ignorasse, quoties & quando S. Bonifacius Romam iuerit, & à quo Romano Pontifice Episcopus ordinatus sit. Auctori iste dicit Bonifacium prima in urbem itione salutasse Gregorium (Papam) à primo secundum, vulgo dictum Iuniorem. Et tertia profectioe ait Bonifacium iam Archiepiscopum eidem Gregorio II. presentatum, quæ temporū ratio haud admittit; & à Gregorio III. Archiepiscopum creatum esse, ex Ludgero dilucidè liquet.

Verum hæc obiectio hanc lucubrationem S. Willibaldo non eripit: nam quæ leguntur cap. I X. vbi de tertia Romam profectioe sermo est; non de Gregorio II. sed de III. accipi debent. Verba Auctoris sunt ista. *Ubi post immensam itineris vastitatem, Domino Apostolico Gregorio Iuniori secundo presentaretur, benignè ab illo susceptus est.* Vbi non ait Auctor, Gregorio II. sed; Gregorio Iuniori secundo; quia primus Iunior Gregorius, erat

erat Gregorius Secundus, & Gregorius Iunior Secundus, erat Gregorius Tertius, qui Iuniores dicti respectu ad S. Gregorium Magnum & primū habito; id etiam planum fit ex cap. X. vbi Canisiana editio isthęc. *Misus à sancto & venerabili sedis Apostolica Pontifice Gregorio Iuniore, à primo, secundo, & à Gregorio Secundo Iuniore, cum primo Tertio. Vbi manifestè vides Gregorium III. appellari Iuniorem Secundum. Desinit igitur difficultas, quæ Gregorij Secundi nomen ingerebat.*

III. S. Bonifacius cap. 6. oblatam à S. Willibrordo ordinationem recusans, excusationis loco Canonis normam allegasse traditur, quia quinquagesimi anni nēdum plenè atatem attigisset. Quis verò Canon quinquagesimum ætatis annum requirit? *fo*

IV. Ibidem nominat Bonifacium Gregorium II. virum sanctæ recordationis, cum necdum mortuus esset. Sed responderi potest, hæc verba non à S. Bonifacio prolata, sed scriptorem intuitu ad sua tempora, quando iam obierat Gregorius Secundus, phrasi illa vsurum esse.

V. Ait scriptor iste S. Bonifacium XXXVI. annis, mensibus VI. diebus VI. Episcopatum tenuisse. Quod non concinit, si anno DCC. XXII. vel DCC. XXIII. Episcopatu inauguratus est. Sed hoc facile expeditur, si dicas, Willibaldum annos Episcopatus Bonifacij improprie & proprie dicti computasse ab anno DCC. XVIII. vel DCC. XIX.

VI. Willibaldus vix de se scripsisset illud cap. 10. Duos bonæ industriæ viros ad ordinem Episcopatus promouit Willibaldum & Burckhardum. Sed responderi potest etiam viros sanctos aliquādo aliquid suam in laudem, etsi non ad suam, sed ad Dei laudem, protulisse. Testis sanctif-

*fo* Respondeo; Constitutiones Apostolicae Clementis Romani lib. 2. cap. 1. discrete præcipiunt, ut qui ad Episcopatus honorem euehitur, non sit minor natu, quam annorum quinquaginta, quod ætas quodammodo iam iuueniles petulantias, & eorum, qui lovis sunt, obreptiones effugerit. Paulo post subditur: sit eruditus, & su sermonis exercitatus, ætate inclinante. Vide Francisci Turriani explanationem defensoriam in hunc ipsum Clementis locum. Hodie tamen communi iure & more ætas triginta annorum ad Episcopi dignitatem sufficit.

sanctissimus Apostolus Paulus qui in propriam commendationem cum alibi, tum 1. Thess. cap. 2. isthæc. *Vos testes estis & Deus, quam sanctè & iustè & sine querela vobis, qui credidistis, fuimus.*

Non diffiteor tamen obiectiones allatas dubitationem de Auctore iniicere posse. Verùm contra has suspiciones stat cōsensus manuscriptorum codicum, ex quibus vidi Rebdorfensem, & Hungarianum, & vnum vel alterum apud S. Gallum in Heluetia, qui omnes S. Willibaldi nomen præferunt, vt & ille, quo vsus est Serarius.

Additamentum Wicelianum de loco scriptionis huius non moramur, quia fictitium est, nec in codicibus manuscriptis compareret, vnde vnde Wicelius illud sumpserit aut deprompserit.

Festus dies S. Willibaldi agitur non VIII. Idus Iulij, vt scribit Trithemius, sed Nonis, hoc est VII. die Iulij, cum octauâ, quæ incidit in decimum quartum diem eiusdem mensis. Aichstadij, vt & in aliis nonnullis illius Dioeceseos locis; non tantum in choro, sed & in foro dies festus est.

Communis persuasio, & domesticorum Annalium traditio habet, S. Willibaldum obiisse, & ad Superos abiisse anno Christi DCC. LXX. XI. Ita etiam Philippus cap. 37. Sed grauem scrupulum iniicit Egilwardus, qui libro 2. de vita S. Burckhardi cap. 12. ait, S. Burckhardum vita functum anno Redemptoris DCC. XCI. & post decessum Burckhardi Meginandum XV. annis Episcopale solium tenuisse; & postea successorem sibi delegisse Bernvvelphum, cooperantibus sibi in ordinatione Lullo Metropolitano, & Willibaldo Eystettensi Episcopo. Ex quo sequitur Lullum & Willi-

Willibaldum non modò ultra DCC.XC. annum, sed multum ultra vixisse; cum tamen communis scriptorum consensus Lullum rebus humanis exemptum, tradat anno DCC. LXXXVI. vel certè sequenti DCC. LXXXVII. & Willibaldum, eo, quem paulò antea notauimus, anno; & licet quis diceret, vt habet Bruschius in Catalogo Episcoporum Herbipolensium; Megingandum anno DCC. XCIV. Episcopatu se abdicasse, *præsente Willibaldo Eystettensi Episcopo*, id tamen constare nequiret, vt ex dictis manifestum est.

Quid ergo ad Egilvardum dicemus? Illud, opinor, plurimum potiore esse rationem, quam vnius, præsertim cum Egilvardus, nec Burckhardo nec Megingando coætaneus fuerit. Non ignoro esse, qui sanctum Willibaldum anno DCC. XCIV. è viuis excessisse scribant. Sed ij ferè sunt Auctores de triuio & pedanei, nec cum Egilvardi computo conciliari possunt. Adde, quod S. Ludgerus in commentariolo de S. Bonifacio & S. Gregorio disertè scribit, Wigbertum & Burckhardum, duos ex discipulis S. Bonifacij, prius è vitâ excessisse, quàm S. Bonifacius Martyrium subiret. At communior & certior sententia est, sanctum Bonifacium vitam pro Christo posuisse anno gratiæ DCC. LV. Oportet ergo ante hunc annum, vel si hoc anno, certè ante Martyrium S. Bonifacij Burckhardum vitam cum morte commutasse, quomodo ergo peruenit ad annum DCC. XCI. vt scribit Egilvardus? in cuius Commentario non tantùm hoc, sed & quædam alia à veritate prorsus abhorrentia insunt, siue hoc culpa ipsius Egilvardi, siue studio peruerso alicuius sciolj acciderit.

Cor-

Corpus S. Willibaldi Aichstadij in choro Willibaldino asseruatur & honoratur. Cuius tamen translata reliquia nunc Furnis seruantur, inquit Balæus Centur. 2. cap. 16. At non tote, ô bone, sed duntaxat portio quedam. Quod etiam de S. Walpurga dictum esto; de quo admonere nō supersedit Molanus in sanctorum Belgij *Indiculo*, idque ne quis deciperetur narratione quorundam, qui rem ita referunt, vt quis existimare possit, totas Reliquias Furnos deportatas esse; quod à vero alienum est; Facta est hæc portionum de Reliquiis S. Willibaldi, S. Wunibaldi & S. Walpurgis translatio anno Domini DCCC. LXX. quo tempore Otkerus seu Otkarius VI. Eystettenensis Episcopus Cathedralam Willibaldinā moderabatur. Quanquam in rebus gestis huius Episcopi alium sit de his reliquiis in Flandriam missis, silentium. Balduinus cognomento Ferreus tunc Flandriam imperio tenebat. Sub quo etiam corpus S. Donatiani Archiepiscopi Remensis Brugas Flandricas trāslatum est, anno gratiæ DCCC. LXIII.

## CAPVT XXIII.

*De canonizatione & translationibus  
S. Willibaldi.*

Communis sententia habet S. Willibaldum Canonizatum esse à Leone VII. Pontifice Max. qui pontificatum iniit anno Redemptoris DCCC. XXXVI. eundemq; vita functus deseruit anno DCCC. XXXIX. cum sedisset annis tribus, & sex mensibus. Hoc ergo tempore, quod cōtinetur annis istis, S. Willibaldum Cælicum nume-



ro adscriptum oportuit, quando Starckhandus Willibaldinam cathedram obtinebat.

Sed his refragatur Philippus, qui canonizationem istam refert ad annum Domini DCCCC.LXXXIX. qui est quinquagesimus annus ab obitu Leonis Papæ, & primus Megengozi Antistitis Aichstadiani. Quamquam sibi ipse etiam repugnat: si enim Leo VII. in Sanctorum numerum retulit S. Willibaldum, ut ipsemet disertè scribit, quomodo id eo, quem indicat anno, fieri potuit?

Relatio de canonizatione & translationibus sancti Willibaldi, quæ in ipso vestibulo Pontificalis existat, eodem fermè modo hac de re loquitur. Sunt, qui nodum hunc ita solvendū censeant. Sub Leone VII. petitam Canonizationem S. Willibaldi; & examinata acta, à prædicto Pontifice, idq; studio Starckhandi tunc Eystettensis Episcopi; verum immatura morte Leonis, opus inchoatum imperfectum mansisse, ut sæpius hoc ipso in argumèto accidisse nouimus, donec tandem Megengozus rem iterum vrgerè cœperit; feliciterq; confecerit, & hoc accidisse non anno DCCCC.LXXXIX. Sed anno M. XIV. qui fuit vltimus annus Megingozi in Episcopatu. Nec abluunt ab hac sententia verba Relationis, si rectè intelligantur & distinguantur. Sunt autem ista; iam in Megengozi pontificatu à me relata. *Medio tempore Dominus Deus in laudem & honorem egregij Confessoris sui multa permisit fieri signa. Illa verò signa infinita cum à Leone Papa VII. satis essent examinata & coram eo probata; procurante venerabili patre Domino MegengoZo, laudabiliter Canonizatus & Sanctorum Catalogo insertus est. Procurante nimirum MegingoZo nō apud Leonem VII. sed apud sui temporis*

poris & præfulatus Pontifices, vt quod à Leone VII. comprobatum fuerat; re ipsa perficeretur. Cæterum, anno M. XIV. nauiculam S. Petri gubernabat Benedictus VIII. qui S. Henricum Imperatorem imperiali corona redimiuit. Ego nescio quomodo propensior sum in Leonem VII. Papam, ita vt que de Megengozzo adduntur, assumēta existimem. Difficile enim creditu est tantam lucernam tam splendide rutilantem sub modio iacuisse, hoc est, canonizatione caruisse, ab anno Domini DCC. LXXXI. vsq; ad annum salutis M. XIV.

Quatuor Translationes Reliquiarum S. Willibaldi ponit Philippus cap. 38. Prima est retro altare sancti Viti. Secunda, ad medium Ecclesiæ. Tertia ad chorum B. Virginis. Quarta, ad chorum Willibaldinum. Alij tres tantum statuunt, omissa illa ad medium Ecclesiæ. De quibus translationibus plura reperies in historia Episcoporum, vbi, à quibus singulæ peractæ sint, sigillatim explicabitur.

Auctor Anonymus, qui vixit & scripsit sub Gundackaro XVIII. Episcopo Eystertensi aliam sub Reginoldo Episcopo si non perfectam, saltem tentatam translationem ponit his verbis. *Adhuc quod mirabilius est dicam, centesimo LXXXVI. depositionis S. Willibaldi anno, cum Chrysostomus noster Reginoldus Episcopus monasterio magnificentius instructo, & pulcherrimo, vt nosti, carmine facto, corpus eius de medio choro, vbi vsque modo sepulchrum eius cernitur, in cryptam, vbi iam nunc requiescit transferre cogitaret, facto triduano ieiunio Archipresbyteri, quibus iussum fuerat, summo, vt decuit, timore & reuerentia pretiosum corporis eius thesaurum offenderunt, stantem procul expansis ad cælum manibus Episcopo, neque, quo vsq; omnia*

peragerentur, accedere auso. Sed veridica patrum relatione  
percepi, omnes, qui sacratissimas eius reliquias inspexere, an-  
num integrum in hac vita non impleuisse. Quid autem ipsi  
Episcopo acciderit, non est dicendum per singula.

## CAPVT XXIV.

Conuicia Centuriatorum & Balai iacta  
in S. Willibaldum.

**I**dem erroribus imbutus fuit, inquit Centu-  
riatores Cent. VIII. cap. 10. quibus Bonifacius.  
At Bonifacius nullis erroribus imbutus fuit,  
ergo nec Willibaldus. Dicite tamen, qui sunt isti erro-  
res Bonifacij? Corruptelam de oratione pro mortuis, à Pon-  
tifici Gregorio acceptam, longè lateq; sparsit, ut patet ex epi-  
stolis eius ad Aldherium Abbatem. Grandis error, preces  
fundere pro defunctis, & ut fundantur, docere, & ab  
amicis etiam exigere, prout exegit S. Bonifacius ab  
Aldherio in epistola, quam ad ipsum dedit, quæ est  
XXIV. inter Bonifacianas. Scilicet id faciendum es-  
se, nesciebat S. Bonifacius, & nescius vsque ad extre-  
mum vitæ finem mansisset; nisi à Pontifice Grego-  
rio dogma hoc accepisset: quasi verò etiam ante hunc  
Gregorium, in toto Christiano orbe mos orandi pro  
mortuis non viguerit, maximè in Anglia; prius quo-  
que quàm Bonifacius pedem ex Anglia efferret. Quis  
autem tam stultus & amens est, qui, si vna ex parte  
stantes S. Bonifacius & S. Willibaldus dicant, pro de-  
functis preces & supplicationes Domino offerri de-  
bere; è contra verò Illyricus cū suis Wigando & Mat-  
thæo Iudice vociferetur; hoc esse superstitiosum, ac proin-  
de omni modo fugiendum; non malit subscribere senten-  
tiæ

tiæ sanctorum Bonifacij & Willibaldi, quàm vociferationibus Illyrici & Sodalium, qui nudius tertius ex Lutheri lumbis progeniti, perspicuè vident, sibi & suæ sectæ nullum locum fore, nisi veteres illos Catholicæ fidei in Germania plātatores & prædicatores viperis suis linguis infectentur, & infectionibus suis imperito vulgo exosos reddant.

Secundus error Bonifacio à Centuriatoribus adscriptus, est iste. *Orationem Deo fore acceptiorem, se ad eam adstipulationem & benedictionem accedat Romani Pontificis.* At hic ego nullum Bonifacij errorem, sed valde fraudulentum mendacium Illyrici deprehendo; falsum enim sensum S. Bonifacio affingit: nam in epistola sexta, quæ est ad vniuersos Anglos, implorat omnium Anglorum vota & preces pro conuersione Saxonum, ex quibus ipsi Angli originem ducebant; additque: *Et scitote, quod in hac prece duorum Pontificum Romana Ecclesia adstipulationem, & consensum & benedictionem accepi,* quorum verborum non est ille sensus, quem ex suo cerebro profert Illyricus; sed iste; Scitote duos Romanos Pontifices, etiam benedictione impertita, probasse, vt à vobis pro Saxonica gentis ad Christianam religionem translatione preces postularem.

Tertius error. *Bonis operibus salutem adscribit in epistola ad Torthelmum, dum se pro redemptione animæ suæ habere studium dicit Saxones conuertendi.* Non reperitur inter vulgatas epistola S. Bonifacij ad Torthelmum, Episcopum; sed Torthelmi ad Bonifacium, & est numero XLIII. Ex qua tamen liquet S. Bonifacium scripsisse ad Torthelmum, se in Saxonum gente ad Christianam fidem transferenda, nullis laboribus parere pro redemptione animæ suæ, id est, vt salutis æternæ parti-

particeps fiat. Quid hic erroris? An tu malis aut nullis operibus salutem adscribendam censes? Si malis, quid peius? cum mala opera à salute ad perniciem æternam abducant. Si nullis, contradicis supremo iudici, qui ultimam sententiam pro electis ex bonis operibus pronuntiaturus est: *Esuriui enim & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere*: qua definitionis nouissimæ formula excludit quoque inanem illam Sectariorum fidem, qua, ut ipsi quidem credunt Christum, ut autem ego sentio, frivolum capitis sui phantasma apprehendunt, in eaque sola puppim & proram salutis suæ constituunt, neque enim ex hac commenticia fide, sed ex operibus decernit, aliis quidem vitam æternam: aliis ignem æternum.

Hos tres errores non errores percensent Centuriatores, ubi de doctrina & scriptis Bonifacij agunt. Alibi plures se annotasse aiunt. Verum omnes eiusmodi sunt, quorum nec S. Bonifacium, nec S. Willibaldum pudeat, seiunctis tamen imposturis & criminationibus, quibus dogmata S. Bonifacio attributa, foedant & commaculant.

Jam intueamur errores, quos S. Willibaldo separatim assignant. I. *Monasticensem seu doctrinam demoniorum de prohibendis nuptiis magnificat, ut patet ex Monasteriorum adificatione*. Doctrinam Diabolicam sanctus Willibaldus nullam nouit, quia haud ignorauit matrimonium esse honorabile, & torum immaculatum, à quo neminem, qui sui iuris & arbitrij esset, prohibuit vel violenter abstinuit: voto iam obligatos, vota sua Deo reddere voluit. Quam doctrinam Demoniorum esse, ne ipse quidem Dæmon affirmauerit, quia tam stupidus non est, ut non videat, quid valeat

leat illud: *Vouete & reddite.* Et illud: *Si quid vouisti Deo, ne moveris reddere.* Si ædificare monasteria ex Dæmoniorum doctrina fluit, qui fit, quòd Maiores nostri, homines perspicacissimi, qui omnes propemodù Germaniæ angulos Monasteriis, & sacerdotum collegiis impleuerunt; id non animaduertent? An expectare oportuit, donec Lutherus Monasticæ vitæ pertæsus, & solutioris cupidus, cum suis affeclis aduolaret, clamitaretque, Monasticam professionem & Monasteria non nisi à Dæmone proficisci, quò hac ratione propudiosam suam & suorum turpitudinem flagitiosamque defectionem non nihil teget? Certè sancto Bonifacio apud Boios, & Willibaldo apud vicinos Almonios commorantibus, breui tempore vnde viginti Monachorum & Sacerdotum collegia condita sunt; quod neque Auentinus, vtcunq; alioqui in Monachos affectus, dissimulauit lib. 3. Annalium. *Balaus Centur. 2. cap. 16. dicit, Villibaldum post Bonifacij eadem, usq; ad decrepitam senectam, laborasse in adificandis Monachorum cænobiis, sumptibus tamen alienis.* Mirum, ni propriis, qui propriis sponte propter Christum sese abdicauerat, nec propriis egebat, cui ex piorum liberalitate nihil deerat.

Postquam Bauaria à S. Bonifacio ab improbis sacerdotibus & clericis expurgata est, descriptisque singularum Dioeceseon finibus, *certatim ab Optimatibus Boiorum opes pauperibus distributa sunt,* inquit Auentinus, *Christianam paupertatē pleriq; contemptis diuitiis, profiteri ceperunt, & quidem eum in finem & vsum magnificis & amplissimis Monasteriis conditis.*

II. Error S. Willibaldi. *Humanis traditionibus Deo cultum adhiberi opinatus est, ideoq; eas cumulauit, & superstio-*

○

stio-

*stitionibus Romanam synagogam auxit: quod transcripserunt Centuriatores ex Balæo, quem & citant. Quibus tandem traditionibus Deo cultum deferri vultis? An pecuinis & belluinis, quales traditiones Lutheranae, quandoquidem humanae vsque adeo vobis displicent? Ita credo: Et vt credam vita vestra facit, quæ carni & sanguini immersa, tum se Deo gratissimum obsequium præstare existimat, si Lutheri exemplo, Monachi & Moniales coniugentur, & sacrilego nexu copulentur. Sanctus Willibaldus, quod in Ecclesia inuenit, retinuit, & ad posteros propagauit; quod maiores tradiderunt; id amplexus est, imprimis Monasticam professionem, cuius isti omnes sunt osiores, plurimi etiam desertores. Quapropter fieri non potest, vt Monasteriorum exstructionem, æquis & patientibus oculis intueantur; sola destructio & desolatio placeat.*

Ab erroribus scilicet Willibaldi transeunt Centuriatores ad opera gubernationis. Aiunt. *Franciscus Ecclesias reformare iunxit. Bonum factum reformatio, si non sit Lutherana vel Calviniana, quia ista deformationis soror est. Quid amplius? Sacerdotes coniuges oppressit. Non oppressit, ô boni, sed ad cælibatum ex Apostolica traditione deriuatum reuocauit putatios illos coniuges Sacerdotes, qui scortationi suæ venerabile nomen coniugij prætexebant.*

At vide iam grauissimum Willibaldi crimen. *Architectum cænobij Aichostadij & urbis illius egit. Citantque Schedelium Ætate VI. Graue piaculum, præesse ædificio, & quidem religioso, & non nisi ad religiosos vsus deputato; dare item operam, vt conuenienter & ordine habitacula illis describantur,*  
qui,

qui, vt olim fieri solebat, ad noua Monasteria habitatum accurrebant, ex quorum accursu integra postmodum oppida & aliquando populosa ciuitates exstiterunt. Interim nec Centuriatoribus, nec aliis Prædicantibus impedimento erimus, quo minus ipsi architectonicæ suæ peritiæ in ædificandis capribus, hædilibus & hircilibus pro capris, hædis & hircis suis specimina edant, quandoquidem à condendis Monasteriis tantoperè abhorrent. Balæus criminatur, nullam fieri mentionem de animabus, quas *VVillibaldus Domino lucratus sit: tantum de Monasteriis conditis vel condendis omnia perstrepere*. Hanc calumniam depellunt Acta S. Bonifacii, quorum Willibaldus pars magna fuit, in quibus tot millia hominum ad Christianam fidem vel traducta, vel in ea confirmata leguntur; vt taceam, de fructu animarum, quem tulit apud Noricos & Boios Willibaldus, postquam Episcopalis cathedra Eychstadij constituta est: de quo legi potest *Hodœporicon Willibaldinum sub finem*.

Nihilne de *VVillibaldo* restat, ô Centuriatores? Imò. *Megingandum* Abbatem in Monasterio Neapolitano à *Carolo* exstructo consecrauit in presentia *Caroli*, testem quæ laudant vnum ex triuio Chronologulū *Valentinum Mûnzerum*. Et tamen paulò antè ex eodem *Mûnzero* Centuriatores scripserant, *Megingandum* à *Lullo* Archiepiscopo Moguntino consecratum esse Abbatem. At dicent: consecrationis adiutorem fuisse *VVillibaldum*. Sic ita; sed quemodo anni consonant? Nam *Mûnzerus* hanc consecrationem peractam dicit anno Domini *DCC. XCIV.* ante quem annum, quidquid *Mûnzerus* deliret, *VVillibaldus* dudū mortalitatem expleuerat, vt pote mortuus anno *DCC.*



LXXXI. hoc est, tredecim annis antea; Lullus quoque hinc ad superos migravit anno gratiæ DCC. LXXXVI. vel sequenti. Et quamuis Egilvardus in historia S. Burckhardi lib. 3. cap. 1. scribat, Megingandum in Neostadiano Monasterio, deserta Episcopali sede, Abbatem factum esse; non tamen dicit, consecrationem Abbatiam à Lullo & Villibaldo accepisse, tamen hoc affirmat de consecratione Bernvvelphi, qui in locum Megingandi subrogatus est; quod tamē, ut alibi diximus, cum vero annorum calculo non concinit. Centuriatores maximam suorum centonum partem confarcinarunt ex auctoribus plebeis, qui vel nullius vel non magni ponderis & pretij, ut est Münzerus, Munsterus, Schedelius, Balæus, Curio, Hedio, Auentinus, similes. Quocirca sæpissime hallucinantur, ut etiam in rebus S. Villibaldi cernere datur.

Aiunt, Villibaldum oriundum ex Anglia, aut secundum quosdam ex Scotia. (De Scotia silete. Fabula est, ut suo loco probatum) ingenio, memoria, lingua promptum literis operam non sine fructu nauasse: In Frisiam ab Ekberto Archiepiscopo Eboracensi ablegatum (veritas secus se habet, ut suo loco ostendimus) ut Pontificio caractere nascentem illic Ecclesiam Christi insigniret. (Calumniam audio. An Pontificius character est, baptismus, & ante baptismum Christiana doctrina tradi consueta? Vbi eratis tunc vos Lutherani & Calviniani verbi tubicines? Cur ipsi met in Frisiam non venistis? Cur non obstitistis, ne Monachi dogmata illa, quæ vos cruciant, apud Frisones disseminarent: Vbi, inquam, tunc eratis? An adhuc in Orco? An in femoribus & iliis illius, qui, ut omnis mendacij, ita etiam omnium mendaciorum

ciorum pater est?) *VVillibaldum cum fratre ex Phrisia digressum venisse ad Sebaldū, qui à Gregorio II. in Germaniam missus fuerit. (Nihil de hoc classici Scriptores, sed sic ita) Inde Romam petiisse, inde Hierosolymam, post ad Bonifacium sese recepisse, quando cepit Germanos iugo Pontificis subicere, socius q̄ egerere videbatur. (Iugo Pontificis Romani, quod non est aliud, quam suaue iugum Christi, subiecit S. Bonifacius Germanos. An volebatis, vt eos subiiceret iugo Lutheri aut Caluini? Atqui non poterat: quia non nisi multis sæculis post, infanda hæc & execranda nomina exstiterunt. Et vt tunc exstiterent; S. Bonifacius, & S. Willibaldus non aliter cum illis egissent; ac egerunt cum aliis peruersæ mentis doctoribus, qui tunc caput aliquibus in locis efferebant) *VVillibaldum in Bauariam progressum anno salutis DCC. XL. (Cærius, ô boni,) cepisse in vasta solitudine, succisis nemoribus, urbem exstruere, à quercubus Eychstet, Dryopolim, dictam, & Episcopum Eychstettensem creatum anno Christi DCC. XL. vel DCC. XLIV. vel DCC. XLVI. Qui sæpius iaculatur, tandem scopum tangit; aut certè ad scopum, propè accedit. Id hic Centuriatoribus accidit: qui post trina in inane iacta missilia fermè tetigissent annum**

Domini DCC. XLV. quo sanctus *VVillibaldus ad sedem Episcopalem eue-*

*ctus est.*

*Finis libri primi Observationum.*



OBSERVATIO-  
NUM IN COMMEN-  
TARIUM PHILIPPI EPI-  
SCOPI EYSTETTENSIS DE  
VITA S. WILLIBALDI.

Liber Secundus.

CAPVT I.

*De consanguineis & cognatis sancti  
VVillibaldi.*



**M**RATER eius germanus, natu grandior, fuit S. VVunibaldus Abbas. Soror, VValpurga, sanctimonialis Abbatisa. Sed quæri potest, an S. VVillibaldo non fuerint alij fratres & sorores? Et videtur affirmandum, si quis verba vitæ VVunibaldinæ rectè pōderet; in cuius exordio dicitur, quod VVunibaldus amori diuino præculerit *nouercam, cum fratrum, sororumq; clientela.* Nota illud: *Nouerca.* Iam ergo vera mater obierat. Cuius contrarium alia monumenta constanter tradunt.

Deinde ait Scriptrix illa in eadem VVunibaldinæ vitæ historia: *VVunibaldum post septennium peregrinationis sue in Angliam rediisse, qui statim cum*  
*magna*

magno gaudio susceptus ab amicis diligenter docendo fratres & sorores, & alios de suo genere propinquos exhortari cepit, ut in recto itineris tramite de solida veritatis via pedem retrahendo non deuiarent, sed ad angustam paradisi portam per arctam & asperam viam ire tentarent. Et fratres & sorores VVunibaldi, nisi quis metaphoricè & spiritali sensu ita appellatos velit.

Ibidem ait, eadem Scriptrix, VVunibaldum ex Anglia discessisse cum iuniorum subsidiis, fratre suo comite: quod de VVillibaldo accipi nequit. Iste enim tunc aut in peregrinatione Hierosolymitana versabatur, aut in Cassinensi Monasterio delitebat, neque proditum est, S. VVillibaldum Angliam semel relictam unquam repetiisse.

In eadem vita dicitur, VVunibaldum profecturum in Germaniam ad S. Bonifacium, valedixisse Romæ fratri suo. Quod de VVillibaldo intelligi vetat absentia eius, vel in peregrinatione Hierosolymitana, vel in Monte Cassinate.

In Hodœporico VVillibaldino scripto à sanctimoniali Heidenheimensi, Richardus pater rogatus à filio VVillibaldo ut peregrinationem transmarinam susciperet, excusat coniugis & liberorum <sup>\* inoletiuorum</sup> <sup>\* inoletiui liberi</sup> paruitatem & fragilitatem, illos orbare, & alienis relinquere, <sup>Germani vna</sup> <sup>logus Binder,</sup> inhonestum & crudele esse. Quod de S. VVunibaldo dictum esse, dici non potest, cum maior natus fuerit, quàm VVillibaldus, ut & soror VValpurga, quando Richardus, patria relicta, alienas terras petiuit. Nec de vna duntaxat prole, tutelæ adhuc egentis, loquitur Hodœporicon, sed de pluribus. Nec dissentit ab his Hodœporicon alterum ex priore paulò elegantius concinnatum.

S. Bo.

S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, fuisse Villibaldi cognatum, in confesso est, quippe auunculum eius, fratrem nimirum Bonnæ seu Wunnæ, quæ felioi partu S. Villibaldum edidit. Quapropter regium quoque genus S. Bonifacio tribuitur, ut patet ex his versiculis, quos ex Arcis Moguntinæ Templo citat Serarius lib. 3. rerum Moguntinarum Notatione secunda.

*Ex stirpe natus regia Bonifacius  
Britanniam vltra deferens  
Auctoritate Pontificis summi, fuit  
Apostolus Germania.*

Cui ignotus est S. Villibrordus, Phrisonum Apostolus? Is in Calendario, quod Pontificali Eystettensi manuscripto innexum est, dicitur fuisse filius Materceræ S. Villibaldi. Consobrini ergo S. Villibrordus & S. Villibaldus, utpote duarum sororum filij.


Inter cognatos S. Villibaldi numeratur quoque à Philippo S. Sola, gente Anglus, S. Bonifacij discipulus, cuius vita exstat Tomo IV. Antiquæ Læctionis. Quanquam Auctor non cognatum, sed popularem facit his verbis: *Habuit B. Sola post gloriosum triumphum Martyrii S. Bonifacij Archiepiscopi, Dominum Villibaldum Episcopum, & Villibaldum Germanum eius Presbyterum, adintores sui laboris, qui ei, ut propriæ gentis (Anglicanæ scilicet) viro omnibus his in locis adminiculum ac solatium præbebant.* Nam cella, quam exstruxerat, erat in Dicecesi Eystettensi ad Almonem seu Alcimylam fluuium, quæ & hodie, ut & totus pagus inde natus, Solenhofen, quasi *Sole villa*, appellatur. Sed de hoc Beato plura inferius.

Cognatis Villibaldinis annumerat Philippus  
Deoda.

Deodatum seu Adeodatū, quem etiam Martyrij corona redimitum ait. Fortè cum S. Bonifacio illustrem hanc palmam adeptus est, cui Beda in Epitome socios Martyrij LIII. assignat. Hucbaldus de S. Lebuino LII.

## CAPVT II.

*De S. Wunibaldo.*

 Ræter ea, quæ Philippus habet, & quæ continentur in historia vitæ Willibaldinæ Tomo IV. Antiquæ Lectionis, & quæ passim quoq; à nobis lib. I. Observationum disputata sunt, pauca restant de S. Wunibaldo, cuius anniuersaria memoria colitur XVIII Decembris. Quem diem Arnoldus<sup>s</sup> Wion lib. 3. *Ligni vitæ* alterius Wunibaldi seu Winibaldi memoria illustrat, quem ait fuisse Abbatem S. Lupi Trecentis, & floruisse circa annum DC. XX. Trithemium hac in parte secutus libro 3. de viris Illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 67. Vt cunque sit, noster Winibaldus seu Wunibaldus Abbas haud inuitus in communionem eiusdem diei Trecentem illum, Abbatem recipiet. Sacerdos creatus est à S. Bonifacio in Thuringia; annus incertus est, septemque Ecclesiis Præfectus. Quod in tanta operariorum penuria mirum videri non debet.

Anno Domini M. CCC. LXIII. translatus est S. Wunibaldus Heidenheimij in nouum chorum; de qua translatione isthæc Henricus Rebdorffensis<sup>s</sup>. *In octaua Pentecostes S. Wunibaldi Confessoris in Heidenheim facta est translatio in nouum chorum, cuius Reliquiis cum postea deferrentur in stillicidium huius in magna abundantia manatum est adhuc existens S. VValpurgis.* Ita edidit Fre-  
p herus,

herus, Tomo I. Illustrium scriptorum Germania, sed locus omnino corruptus est; cui existimabam ex M. S. codice Bibliothecæ Rebdorffensis medicinam adferri posse. Verum spe mea falsus sum; nam Codex ille, aequè hoc loco vitiosus est ac editio: clarior paulò sensus erit, si legas, *Reliquia*. Videtur enim hoc dicere: Reliquias S. VVunibaldi allatas esse in stillicidium, hoc est, ad sepulchrum B. Walpurgis, seu ad locum illum, in quem stillæ olei ex lipsanis S. Walpurgæ decidunt, & mox ad Reliquiarum præsentiam oleum copiosius ex ossibus S. Walpurgis fluxisse; quasi Virgo fratris præsentiam senserit, & in eius gratiam & honorem, sacrum liquorem largius effuderit.

Hic si non sit legitimus sensus, tum fateor, me nullum alium ex tam corruptis verbis extundere posse: nam ex ipsis Reliquiis S. Wunibaldi copiosum oleum manasse ad exemplum S. Walpurgis, verisimiliter nõ affirmatur, cum id à nullo veterum sit memoriæ mandatum, neque Henrici verba huc nos necessario trahant. Obstat tamen, quòd iam ante aliquot annorum Centurias Reliquiæ D. VValpurgis Heidenheimio Eystadium translatae fuerint, vt suo loco planum fiet: nec cum aliqua verisimilitudine asseri potest, Reliquias S. VVunibaldi in hac translatione prius Eystadium adductas esse ad S. VValpurgis sepulchrum. Probabilius forsàn est, aliquid de Lipsanis S. VValpurgæ Heidenheimij relictum & asseruatum fuisse, ex quo oleum itidem, vt Eychstadij effluerit.

Vt Monasterium seu Cellam S. Solæ, ita & Heidenheimense cœnobium heresis Lutherana deprædata est, incolis fugatis, & relictibus eò translatis vel conuersis, quòd ex fundatorum primorum mente mi-

nimè

nimè transferri vel conuerti poterant. Sed ea est hodiernæ hæreseos natura, vt dummodo libidinè suam expleat, & antiquorum instituta conuellat, nec superiores, nec inferos moretur.

In Chronico Constantiensi, quod clarissimus vir D. Ioannes Pistorius euulgauit. *S. VVunibaldi ex Franconia Scheram, (quod Illustrissimi Christophori Truckesij in VValdpurg oppidum est) importata ab eodè Barone Reliquia (id est, totum corpus) ubi iam miraculis inclarescunt.* Ego verò tantum de sacro D. VVunibaldi capite, ex hæreticorum faucibus erepto, Scheramque translato audieram, testante illud etiam R. P. Carolo Stengelio, Augustæ ad D. Vdalricum Ord. D. Benedicti Professo, qui rogatu generosi illius Baronis elegantem commentariolum de S. VVunibaldo conscripsit, tamen si Baro ille prius ad S. VVunibaldum abiit, quàm Commentariolus lucem aspiceret. Utinam, miracula Scheræ per S. VVunibaldi Reliquias edita, authenticè confirmata, aliquando ad laudem cum primis Dei, tum etiam S. VVunibaldi publicentur.

Aliquid de Reliquiis S. VVunibaldi delatum est Furnos in Flandriam vnà cum aliqua portione de S. Willibaldo & S. Walpurga, vt suo loco diximus.

Insigne elogium S. Wunibaldi reperitur in commentariolo de vita & passione S. Bonifacij, idq; non à vulgari quopiam, sed ab ipso S. Ludgero, commentarioli illius scriptore, profectū. *Germanus prædicti VVilibaldi, nomine VVinnibaldus Presbyter, Magistro meo beato Gregorio valde charus, & ipse locum & regionem suam sanctè & feliciter illustrauit, qui post obitum suum, quid viuens fecerit, magnis miraculis ostendit.* Hæc S. Ludgerus. Est autem Gregorius iste, cui VVunibaldus tam charus



erat, clarissimus D. Bonifacij in Frisonum gente conuertenda adiutor, Ultraiectésis Antistes, cuius res gestas idem S. Ludgerus à rebus S. Bonifacij non disiunxit, sed vna eademque lucubratione complexus est, quæ nuper in lucem prodiit studio R. P. Christophori Brouveri nostri. *100*

## CAPVT III.

## De S. Walpurga aliisque sanctis foeminis à S. Bonifacio in Germaniam euocatis.

**D**E hac Trithemius lib. 3. de viris Illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 250. *Walpurgis Abbatissa in Heidenheim Eistettensis diœcesis, soror S. Villibaldi Episcopi, natione Anglica, Virgo sanctissima conuersationis, multis virtutibus & signis clara enituit, cuius inelytagesta diligenter conscripta sunt. Claruit circa annos Domini septingentos quinquaginta. Obiit 5. Calend. Martij. Sed ad Eistat translata est Calendis Maij, quando etiam eius festiuitas agitur. Hæc ille.* Verùm translatio Heidenheimio Eychstadium non celebratur primo die Maij, sed XII. Oct. Kalendæ Maij dicatæ sunt canonizationi S. Walburgis, quando ab Adriano II. Pontifice, circa annum Redemptoris DCCC. LXX. in Diuorum numerum relata est. Oleum ex sacris lipsanis eius fluit, nec toto anno fluit, sed incipit fluxus à memoria translationis, hoc est, à XII. Octobris, vsque ad diem obitus, hoc est, ad XXV. Februarij, penetrat autem sacer hic liquor per durum saxum; quod miraculi magnitudinem non parum auget.

Celebris est Germanis, etiam Belgis, huius Virginis memoria; quod testatur I. frequens vsus imponendi

*100 Anno b. g. m. 776.*

prodit Anno Domini MDCVIII.  
 Martyrologium Anglicis scriptum  
 hoc titulo, si Latine videres. Anglicum  
 Martyrologium continens summam  
 vitas Sanctorum, qui in hys Regnis Angliae,  
 Scotiae et Hiberniae floruerunt. cuius  
 auctor nomen summo nisi sic dicitur  
 Lupulus I. n. obscure insinuat.

In eo <sup>notis</sup> ~~notis~~ sancti Eysthetmar  
 sua habet economia et admiranda  
 mensura, sed, quod de hactenus non  
 sicut primum Historicis et Chronologicis  
 cuiusmodi hallucinationes supra ducentas  
 in illo Martyrologio se notasse scripsit  
 ad me R. P. Stephanus Virens Hibernus,  
 ex Societate nostra Theologus, vir  
 Anglicanus - lingua intelligens. Quamvis  
 non error inest in his et S. Wimbaldi.

XXIV. septembris apud Eist (Eysthacium)  
 in suprema Germania Transalpe  
 S. Wimbaldi Abatis et Confessoris, filij  
 S. Ricardi Regis Anglorum, qui pro fide  
 traiecit in Flandria et Germaniam.

Domino

una cum S. Willebrordo et socijs ad Euangelium Christi, populis illis an-  
nunciandem, à fundamentis erexit monasterium in Prouincia Franconia,  
dictum Heydelmaine, cuius ipse egit Abbatem. quo munere postquam  
per annos decem fuisse functus, sanctissime requieuit <sup>760</sup> anno  
sti circiter 760. Corpus eius postea, sed hac die solenni-  
ter fuit translatum in predictam urbem Eist, ubi in Cate-  
drali Ecclesia, una cum fratris sui Venerabilis S. Wille-  
baldi iacet, & seruatur, coliturq; magna cum uenen-  
tione ab incolis.

70 ad

Ut alios errorum ex hoc, quo S. Willebrordus dispa-  
tata sunt, perspicuos probentur, S. Wun-  
baldu[m] mo[n]ach[us] Eystadij c[um] S. Willebaldo fratre  
suo, nunq[ua]m aut quiescit aut in requieuit,  
sed usq[ue] Lutetiam & ceteros tempora  
theodanhsingim in monasterio ab se  
condito mansit prout c[um] Eystadiensibus  
urbis incolis comprobatur est.

De eod[em] idem Martyrologium xviii. De  
Decembribus. Apud theodanhsim in Franconia  
depositio S. Wunibaldi Abbatis & Confessoris, filij S. Ric-  
ardi Regis Anglorum. Qui comitem se prebuit ma-  
ficiscentis ad Belgas et Germanos sui Auunculi & Ma-  
guntinensis Archiepiscopi S. Bonifacij, qui ipsum ordinauit  
Abbatem monasterij à se fundati in illa prouincia dicti

Harde

Heidenheim. cui cum per decemium profuisset, sanitate &  
miraculis clarus, requieuit in pace anno Christi 760. et se-  
pultus in eodem monasterio, ubi in marmore illius sepulchri  
in sculptum est hoc Epitaphium. Hic Wimibaldus Richardi etc.  
eius corpus postea translatum est ad Eist urbem Germaniae ibique  
conditum cum suo fratre S. Willebaldo, ubi cum magna ueneratione asseruatur.

Quo prout sculptum, ut plerumque fit, tota  
fac nostra de sanctis Eystadibus  
disputations.

Non folius causa S. Walpurgis agit, ut te  
sequendo docerent. Apud monasterium Heidenheim  
in superioris Germania depositio S. Walpurgae Virginis  
& Abbatissae, filiae S. Richardi Regis Angliae. (qua post mortem Patris  
quem iste J. W. aiebat obiisse anno salutis circiter 750) uocata  
a S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, et suo Auunculo, per  
eundem consecrata est Abbatissa predicti Monasterij Heidenheim.  
ubi sanitate uita & miraculorum gloria coruscans, suum in sui  
coelestis sponsi manus spiritum tradidit anno Christi circiter 776.  
eius corpus postea translatum est ad Eist, ubi & collocatum est in  
Eclesia Cathedrali, iuxta Venerabile corpus sui Fratris S. Willebaldi.  
ex quo in hodiernum usque diem manat suauis & pretiosum oleum, pro  
multis morbis curandis efficacissimum. Supra eius tumbam in marmore  
in scriptum est breue illud Epitaphium: Filia Regis erat. etc. Festum e-  
Translationis in Germania 1<sup>o</sup> maij cum magna solemnitate ac deuotione  
a populo Eist urbis. In album Sanctorum fuit Walpurga nomen illatum ab  
Secundo Papa.

as  
nias

Qua in narratione ~~de~~ manifesti  
contineatur, ex quibus non infimus ille s. Walpurga  
pura Eychstadij in templo consecrati  
Witibaldus fuit suu sepultus esse, cui  
vibz motu sit, ~~in~~ in Monasterio Virgini  
Ordinis S. Benedicti, quod a S. Walpurga  
nomen sortitur, monditas esse.  
Ad quod ~~liber~~ ~~teste~~

Ad cuius mensis quotu dicitur Godefridus  
logium referat, no immo motu in Excer  
ptis; na nisi ipse Martyrologium no ad  
manum.

De eadem Walpurga idem Martyrologium  
die xv. Augusti. Apud Furras in Flan

Arria, in Diocesi Treveri, Translatio partis gloriosi corporis  
S. Walpurga Virginis et Abbatisse, filie S. Richardi Regis Anglo  
rum, qua a S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, suo Avunculo us  
cata venit in Germaniam, ubi eam ordinavit in Abbatisam Mo  
nasterij recens ab ipso fundati Heydenheim appellati. In quo es  
dem loco plena sanctissimis meritis celestis quoque spiritum tra  
didit anno Christi 776. Reliquum Virginis corpus remanet a quo  
Eist, quo ante fuit translatum; ex quo in hodiernum usq. diem  
manat pretiosum oleum, multos morbos sanans. Præcipua Virgini  
se punitas

festivitas olim in catholica Anglorum Ecclesia celebrari consuevit 21. Junii  
secundum usum SANCTI; sed in Germania 1. Maij.

Sarum est antiquum quoddam Britanniarum  
Ecclesie Anglicanae, ut notavit supra nominatus  
S. Stephanus Vetus. filij IV. die Augusti & Octobris  
ante S. Petrum S. Walpurgis & Anglia.

Idem S. Willibaldo idem Martyrologium VII. die  
Iulij. Apud Eist in Germania depositio S. Willebaldi

Confessoris & primi Episcopi eius Sedis, et filij S. Richardi Regis  
Anglorum; qui trajecto mari profectus est in Germaniam ad  
Iulium Aunculum S. Bonifacium a quo ordinatus est Episcopus  
Eist; ubi sanctissime vixit, & requievit in Domino, anno  
salutis Christi 781. Corpus eius sepultum est in Cathedrali Eccle-  
sia illius Urbis, ubi aservatur magna cum Veneratione.

Hodieq; in paucula de S. Willibaldo etiam  
canitur.

De S. Ricardo idem Martyrologium 7. Februarij  
Apud Lucam in Italia depositio S. Richardi Regis &  
Confessoris, filij Lotharij Regis Sarraceni; qui Christi amore procul se  
regrinaturus Romam iit, indeq; in patriam revertens mortuus est apud  
Lucam anno Christi circiter 750. ubi eius corpus quiescit & colitur,  
hodieq; magna cum populi veneratione in sacello S. Frigidiani, & illi

sepulchrum


sepulchrum duplici ornatum Epitaphio, soluta & Ligata ora-  
tionis. Ligata sic habet. Ric Rex Ricardus. etc.

De patre s. Ricardi, unde quae dicta sunt.  
lib. 1. Observat. cap. 6. Roma innotuit,  
quia in itinere obiit, non anno salutis 780.  
sui longe antea. Hoc molitiora sunt, quae  
Struic. tom. 1. di. VII. Februarij testat.  
Nicolaus Harpsfeldus in Ecclesiastica  
Historia Anglicana, nihil, quod animadvertit  
nim, de s. Ricardo habet. 5 anno octavo  
fatalis Marcellini in vita s. s. v. b. h.  
a Libani corrupti ad orat. Exbarto mona-  
chu in quibusdam transformat in Exbarto  
Archiepiscopu ~~Exbarto~~ quasi suiq. missu  
David prim. illi Apostoli in Frisiam profecti  
fuerint. s. v. ut ~~ita~~ usq. fuit, et i. p.  
missos fuit ab Exbarto monacho, non  
ab Archiepiscopo Exbarto, alio tamen mo-  
culo Marcellino asperso no. propterea  
absteris labori possit, ut in cap. 9. Obser-  
vationum lib. 1. plam. suadet, et inter d.  
prim. illos viros, de ab Exbarto mon-  
cho in Frisiam missos fuisse v. lib.  
in Wunibaldum, ut putat Harpsfeldus  
a uno prosey absorbit. s. q. no.

capitolo libro 1. Observatio nunt.

Non enim est, quod idem scribit, s. Wal-  
purgam obiisse die primo Maij, nã  
in Februariis postidie s. Matthei Apostol.  
ad meliorem vitam migravit.





nendi hoc nomen foeminis. II. Altaria sub eius nomine & honore erecta. Vnde ante aliquot annorum centurias iam visebatur altare B. Walpurgis in primaria D. Virginis æde Augustæ, vt est in vita S. Vdalrici Episcopi Augustani.

III. Tempia eiusdem nomini consecrata: quale illud, quod non pridem Leodij sua in patria exstruxit D. Petrus Steuartius, Academię Ingolstadiensis Professor & Procancellarius. Meierus lib. 2. Annalium Flandriæ. Anno M. XXX. factum reperio Furnis à Balduino Barbato Templum D. VValpurgis.

IV. Monasteria, ex quorum numero est, de quo ista Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Anno Domini M. C. VI. Comes quidam diues & potens de Mompelgard fundare cepit Abbatiam Ordinis nostri in honorem sanctæ VValpurgis Virginis in Diœcesi Argentinensi, non procul ab Hagenau sitam, quam multis bonis pro sustentatione Monachorū Deo seruientium cumulauit. Vbi vides etiam virorum Monasteria in honorem D. Walpurgis exstrui consueuisse.

Leodij olim Arx seu Castrum Episcopi à S. Walpurga nomen habebat. Ex quo cum milites ciuibus nō parum molestiæ inferrent; versipelli prorsus strategemate ab iisdem captum & euersum est, vt scribit Ioannes Hocsemius libro de Episcopis Leodiensibus cap. 7. idq; contigit anno salutis M. CC. L XIX.

Illud memorabile arbitror, quod Meierus lib. 2. Annalium Flandricorum scriptum reliquit, anno M. XXX. Indictus Aldenarda à Balduino principe conuentus, quo in conuentu Hugo Episcopus Nouiomagensis cum omni Flandria dignitate corpora item sanctorum Gerulphi, VVandregisili, Ansberti, VVlframni, Bauonis, Amandi, Phabil-

rahildis, Donatiani, Amelberga, VValpurgis, Landoaldi, Vinciana, Vedasti, Bertini, VVinnoci, aliaq; omnia Flandria sacra interfuerunt. Proculdubio Reliquia ista alio fine ad comitia non sunt allata, quam vt earum praesentia proceres citius ad concordiam permouerentur, extinctis domesticis & ciuilibus discordiis, quibus tunc Flandria miserandum in modum dilacerabatur, vt idem Auctor scribit.

Porro cum D. Walpurgam inter ceteros Sanctos nominari audis; ne cogites, totum corpus Virginis huius Flandris obtigisse; pars obtigit, vt & de S. Willibaldo & Wunibaldo particula aliqua, horum enim Reliquias impetrauit Balduinus Ferreus, Comes Flaendriae, anno DCCC. LXX. nam quod Meierus corpora nominat, improprie loquitur, certum enim est sanctum Willibaldum, & S. Walpurgam Eystadij requiescere; & ex eorum corporibus non nisi partes & particulas aliis concessas esse.

Hanc eandem historiam referunt Magdeburgici Centur. X I. cap. 6. Ex Meieri Chronico. Sed non potuerunt se continere, quin mutata Meieriana phrasi conuicium adderent: aiunt enim: supra dicto Conuentui, Flandria numina interfuisse. Non numina, o boni, vnum enim vt modo, ita & tunc Flandris Numen erat: sed ipsa eorum interfuisse, qui nunc cum Numine immortale auum agunt, vitae sanctimonia, morumq; innocentia hanc beatitudinis praerogatiua promeriti. Sic quod idem Meierus scribit anno Domini M. C. IX. corpora S. Walpurgis, S. Willibaldi, & S. Wunibaldi Kalendis Maij translata esse, id accipiendum est de partibus Sanctorum corporum; nam vt olim Martyrum, ita postea quoque sanctorum Confess

In Speculo Juris Saxonici Art. 58. mentio fit  
festi Sancte Walpurgis. nam die S. Walpurgis inquit  
constitutio, soluentur decime Agrorum; Assumptionis  
Marie anserum; die S. Joannis Baptista, carnum;  
die S. Margareta, omnis decima frugum; die beati  
Urbani decima uinearum et pomeriorum.

Anno MDLXI edidit Jancius Davila Episcopus Gi-  
ennensis lingua Hispanica librum de ueneratione  
et cultu Reliquiarum, ubi dicit, in sacello seu Orato-  
rio Episcopali, praeter plurimas alias Reliquias,  
asseruari aliquid ex osse S. Walpurgis Virginis  
et Martyris, et ampullulam uitream unam de San-  
guine Martyris. sed hanc Walpurgam diuersam  
a nostra fuisse oportet, si Martyr fuit; nam nostra  
ad Martyris coronam non peruenit. Quocirca proba-  
bile existimo, quod his uerbis ad me scripsit R.  
D. Antonius Velsler Societatis nostrae duc in His-  
panis uersatus. Quid si, inquit, Hispani huius-  
cemodi Ampullulam uitream, qua cum etiam  
Sancta Walpurgis degingi solet, Eystadio accepis-  
sent, et rei miraculo uel etiam Idiomate non  
bene intellecto, de sanguine Sanctae Virginis se  
accepisse credant? Ego de nullâ Sanctâ Walpurgis  
Virgine et Martyre in Hispania quicquam audiui  
Planè mihi persuadeo ita accidisse, quandoquidè  
constat, ut hodie, ita superioribus etiam annis oleum  
S. Walpurgis in uarias prouincias deportatum,  
uarijsq; morbis curandis adhibitum fuisse.

Nec plura de hac Virgine addo; quia rarer vitam et  
miracula eius enulgaui. S. Petrus Steuartius, adiunctis  
copiosis notationibus, ut uix uicquam uel tenue Spici-  
legium legendum reliquerit, praesertim si praedictis  
adijciantur, quae Philippus in hoc commentario de S.  
Walpurga, et in proprio de eadem Virgine opere ad  
Reginam Hungariae literis mandauit. Extat Tomo  
zv. Canisiano Antiquae Lektionis. Infra quoque cap. 6  
integrum Medibardum de miraculis S. Walpurgae  
lectionibus aggonam. Hic tamen tautus praeterire  
nequeo inscitiam Joannis Creccelij ex Monacho Hu-  
gustriano Lutherani Spermologi, qui in libro suo  
de uarijs Ordinibus pag. 29 scribit, ex reliquijs  
Willibaldi Episcopi Eystettensis manasse sacrum  
liquorem, male habentibus salutiferum. Vbi  
apostata miraculum, quod est Sororis Walpurgae  
transfert inscienter ad S. Willibaldum sine ullo  
ullius auctoris testimonio.

Praeter S. Walpurgam uenerunt ex Anglia ad S.  
Bonifacium etiam aliae Sanctimoniales, in primis  
Lieba seu Lioba haec est Charitas, quae Abbatis-  
sam fecit in caenobio Bischoffheimensi, cuius ho-  
die nullum uestigium superasse fertur. Finalde  
sepulta est iuxta

fessorum ipsa pie petentibus diuidebantur, quò  
 benedictio ad plures pertingeret. Pulchrè de Marty-  
 ribus Theodoretus serm. VIII. ad Græcos, cuius ver-  
 ba adscribam, quia simul monstrant, qua de causa  
 fiat, vt aliquando vnus idemque Sanctus diuersis in  
 locis requiescere feratur. *Anima triumphatorum Mar-  
 tyrum in cœlesti nunc patria, vitam agunt Angelorum choris  
 inter sita: eorum verò corpora nō singula quidem singulis mo-  
 numentis conduntur, sed ciuitates, oppida, paganiq; conuen-  
 tus, hac inter se sortitò diuiserunt, quos Martyres ceu Serua-  
 ores animarum corporumq; Medicos, & vt urbium tutores  
 & custodes predicant & dilaudant, quorum precibus & in-  
 eruentu apud Deum vtentes, per eos demum diuina munera  
 consequuntur. Diuisis itaque eorum corporibus integra ta-  
 men vis & gratia perseuerat, tennesq; ac tantilla Reliquia  
 si nullasq; in partes diuiso Martyri parem habent virtu-  
 m.*

Nec plura de hac Virgine addo; quia nuper vitam  
 miracula eius euulgauit D. Petrus Steuartius, ad-  
 nctis copiosis notationibus, vt vix cuiquam vel te-  
 re spicilegium legendum reliquerit, præsertim si  
 edictis adiiciantur, quæ Philippus in hoc commen-  
 io de S. V. Valpurga, & in proprio de eadem Virgi-  
 opere ad Reginam Hungarię literis mandauit. Ex-  
 t. Tomo IV. Canisiano Antiquę Lectionis. Infra  
 oque cap. 6. integrè in Medibardum de Miraculis,  
 Valpurgæ lectoribus apponam.

Præter S. V. Valpurgam venerunt ex Anglia ad  
 Bonifacium etiam aliæ sanctimoniales, in primis  
 ba seu Lioba, hoc est, Charitas, quam Abbatissam fe-  
 in cœnobio Bischoffheimēsi; cuius hodie nullum  
 ligium superesse fertur. Fuldæ sepulta est iuxta  
 S. Bo-

Nec plu  
miraculo  
copiosis  
legium  
adiciant  
Walpur  
Regina  
zv. Ca  
integra  
lectio  
nequeo  
gust  
de ua  
Willi  
liquo  
agost  
tran  
ull  
Præ  
Bon  
Lies  
sam  
die  
sep

S. Bonifacium prout superstes optauerat. Vitam Liobæ virtutibus plenam scripsit Rudolphus, Monachus Fuldensis, Exstat apud Surium Tomo V.

Altera fuit *Chunihild*, seu *Cunihildis*, cum filia sua *Beragith*; Othlonus lib. 1. vitæ Bonifacianæ ait, *valde eruditas fuisse in liberali scientia*, quas S. Bonifacius Monasteriis Thuringiacis magistras & Rectrices dedit. In libro Gundackari hoc nomine secundi Episcopi Eystettenensis, in quo patroni & Episcopi eiusdem Ecclesiæ prisco & casco penicillo depicti sunt, inter patronos ponitur & pingitur quoq; S. Chunihildis hoc appposito versiculo.

*In prece condigna Gunthildis adesto benigna.*

Nec est, quod quis suspicetur Gunthildem esse diuersam à Chunihilde Othloniana ob scripturæ diuersitatem, quia nemini vel paululum in antiquis monumentis versato obscurum est, quàm talia nomina barbara variè scribi soleant. Quocirca neq; ego eandem scribendi rationem ubiq; sequendam duxi. Videtur autè Cunigildis seu Gunthildis inter Patronos Eychstettenses collocari, q; ex Turingia sæpius in has partes excurreret; nam & S. Wunibaldus tres annos in Boica docendo, concionando, ignaros impigrè instruendo, malosque mores & deprauatas consuetudines extirpando posuit, Vtilone tunc imperãte; priusquam Heidenheimium ex Thuringia sedem suam transferret; vt est in historia vitæ Wunibaldinæ. Neque enim isti initio statariam vitam agebant, sed vbi vbi necessitas opem efflagitabat, præsentem sese sistebant. Ita fieri potuit, vt necessitas cœnobiorum, in quibus sanctimonialia degebant, Cunigildem sæpius in Boicam euocaret; & hac ratione inter patronos Eychstettenses

ten ses Sedem inueniret; nisi id factum velis, quod in Thuringia præset Monasteriis virginum sub S. Wunibaldi tutela constitutis.

Prædictis adiunge Chunitrudem, quæ in Bauariam destinata est; sed locus definitè non exprimitur: Et Teclam, quam sic nominatam aiunt à S. Bonifacio, cum prius appellaretur *Hadeloga*; quæ Kizingæ & Oxenforti Parthenonibus præposita est. Ad Teclam & Cynhildem est XXV. epistola S. Bonifacij, inter illas, quæ studio Serarij nostri publicum aspexerunt.

Impurissimi ganeones Magdeburgici Centuriatores, Centur. VIII. cap. III. & Balæus Centur. XIV. Scriptorum Britannæ libidinosum suum animû sanctissimo Bonifacio affricantes clamitant: illum *mollem & effeminatum Martyrem vocatum esse, eo quod secum circumduceret feminas familiares Liebam, & Hadelogam, Bergithen & Valpurgam, quas & delicias suas nominare consueuerit. Mala mens, malus animus. Prædicâtes sanctum Bonifacium ex mulierosa & Quinteuangelica sua affectione metiuntur, quodque ipsi facere solent cum in sui Euangelij subsidium mulieres accersunt; hoc à S. Bonifacio, spectatissimæ castitatis præsule, factum existimant. Quanquam falsum est, quod Virgines ex Anglia aduocatas secum circumduxerit; quia singulas Monasteriis Virginum gubernandis præfecit. Nec quispiam aduersariorum veterum S. Bonifacij (quos non paucos habuit) hæc eum calumnia impetit, non Clemens Scotus, non Adelbertus Gallus, non Balæanus ille Samson, non alij, sed quidquid isti vetustis illis affingunt, id ipsorum recens commentum est, & quidem vanissimum, dignum tamen quinto Euangelio, quod ex mulierum complexu extitit.*

q

Mirum,



Mirum, ni isti iisdem conuiciis impetant Apostolos, quorum mos satis ex his D. Pauli verbis liquet. i. Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Num & hic molliculos Martyres intonabunt?*

## CAPVT IV.

*De S. Sola Abbate.*

**S**X Patronis Eychstadianæ Diœceseos vnus itidem est *S. Sola*, seu *Solus*, seu *Solon*, seu, vt vulgus appellabat, *Sualo* (variè enim hoc nomen scribitur & editur) de quo Trithemius lib. 3. de viris Illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 254. isthæc. *Sola, Abbas in Diœcesi Eystettensi, natione Anglicus, & discipulus sancti Bonifacij Martyris, vir sanctitatis eximia, & multarum virtutum, B. Villibaldo amicissimus fuit, cuius auxilio fundauit Monasterium, in quo multitudinem seruientium Monachorum congregauit. Circa annos autem Domini septingentos sexaginta claruit, cuius festum agitur IV. Nonas Decembris.*

Vita B. Solæ exstat Tomo IV. Antiquæ Lectio- nis scripta olim ab Ermeneldo, seu Ermentico Leuita, Monacho Fuldensi, rogatu Gundrammi itidem Fuldensis Monachi, tempore Rhabani Mauri Abbatis, cuius Gundrammus nepos ex fratre erat, qui ex Fuldensi Monasterio ad Aulam abreptus, tandem *Solæ Cellam* seu *Curiam* incoluit, nam Cellæ huic quasi ex Testamento B. Solæ, semper aliquis ex Monachis Fuldensibus præerat, quia S. Sola Monasterium suum cum omnibus prædiis Fuldensi cœnobio donauerat. *Qua de re audire lubet Ermenricum.* *Habuit B. Sola*

*post*



S. SOLA ABBAS.

Non mihi SOLI laboravi.



post gloriosum triumphum Martyrij S. Bonifacij Archiepiscopi, dominum Willibaldum Episcopum, & Vunebaldum germanum eius Presbyterum adiutores sui laboris, qui ei, ut propria gentis viro, omnibus his in locis adminiculum ac solatium præbebant. Quin & accolæ regionum harum quocunq; aduentantes, ei in Christi amore frequentius administrabant: aliquanti & prædij sui partem tradebant illi. Quam ille cum timore Domini accipiens, cum his, qua Dominus Carolus Augustus ei donare dignatus est, ad egregium Fulde cœnobium potestatiua manu contradidit. Vbi Deo providente, modo sanctissimus, ac in omni parte peritissimus Dominus Abba Rabanus perspicabiliter fulget: videlicet nemini deuotior, quàm illi magistro, quem sequi ab exordio cœperat: illique familia, qua magistri sui institutionis imitatrix, ubique nobilis habetur.

Sed quis iste Carolus Augustus in S. Solam adeò munificus? Sunt qui Carolum Martellum esse velint. Sed Martellus obiit anno Christi DCC. XLI. Quo anno fortassis ne ipse quidem Willibaldus ad Eystertensem prouinciam peruenerat, tantum abest, ut ad vicinam Sualafeldicam regionem S. Sola tunc penetraverit. Itaque in Carolo Magno conquiesco, qui anno salutis DCC. LVIII. mortuo Pipino patri successit. Nec est, quod quis dicat: B. Solam annos regni Caroli Magni non attingisse viuendo; vnde enim hoc probabitur, cum nil constet de anno obitus S. Sole, & ea, quæ Ermenricus scribit, de nullo cõmodius, quàm de Carolo Magno accipi queant.

Locus Cellæ Solonianæ initio vastus & incultus erat. Sed mox, ut alia complura syluestria, simili occasione, excoli cœpit, extructo Monasterio & Pago, quorum vtrique à S. Sola Solenhoffen seu Solahoffij nomine obigit. In Rabani vita à Rudolfo Monacho Ful-

densi scripta appellatur etiam *Solenhus* quasi *Sola do-*  
*mus.*

Cæterum donatio facta à B. Sola Monasterio Ful-  
densi posteris annis confirmata fuit diplomate Lu-  
douici Pij Imp. quod libro 2. Antiquitatum Fuldea-  
sium inseruit R. P. Christophorus Brounerus, & est tale.

Ludouicus diuina ordinante prouidentia Rom. Imp. Au-  
gustus: Si inter mortales, mutua beneficiorum collatio, gra-  
tiam atque amicitiam conciliare solet; quanto magis per id,  
quod in Sanctorum, & iam cum Christo regnantium Marty-  
rum in cælis honorem, quilibet de rebus ex diuinâ largitate  
concessis, conferre curauerit, credendum est promereri, &  
sanctos eius patronos & intercessores fieri. Beati sunt, qui hoc  
deuotâ mente compleuerint. Quapropter notum fieri volu-  
mus, omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet & fu-  
turatorum solertia, qualiter nos, suggerente viro venerabili  
Rhabano Abbate, villam proprietatis nostræ, vocabulo Mu-  
lenheim, sitam in pago Sualesfeldt, iuxta fluum Altmule,  
quam nos cum alio prædio nostro, id est cum Cella, qua Sola  
vocatur, ad Fuldensem Ecclesiam pertinente, & Altheim  
villâ quadam, qua omnia prius in nostra immunitate habui-  
mus, eo quod locus venationis, antiquorum Regum antecesso-  
rum nostrorum fuerit, S. Bonifacio Martyri in ius & posses-  
sionem sempiternam tradimus; eâ videlicet lege, & conditio-  
ne, ut locus ille sempiterna protectione, & regulari guberna-  
tione à Fuldensi monasterio muniatur, cuius traditionis char-  
tam, annuli nostri impressione munimus, & nominis nostri  
conscripto caractere confirmamus. Anno - - - -

Mansit hæc Cella, inquit Brounerus, in fide & pote-  
state Fuldensis Abbatis usque ad annum Christi. M. CCCC.  
XXCVII. quo tempore Ioanne Hennebergensi Comite Abba-  
tis munus gerente, ob Godeschalci à Buchenauu. istic præpositi  
parum

parum felicem administrationem, Solenhofum recusare praepositos cepit Fulda submissos; & ex suo coetu constituere sibi praefectos, Maregraniorum eam in rem adhibens tutelam & auctoritatem. Hac deinde controuersia Roma & alibi agitata, ad annum Christi M. D. XXIIX. vsque partes tenuit, donec Georgij Marchionis tandem auctoritate sic discussa, ut inter arma silere leges coacta sint: & haeresis quoque mox superueniens religionem loco detraxit.

Quanta olim populi Solenhofensis & totius tractus Sualafeldici erga sacras caelitem Reliquias pietas & reuerentia fuerit, docet Rudolphus Monachus Fuldenfis, in vita Rhabani apud Brovverum lib. 3. Antiquitatū Fuldensium, vbi de quodam Presbytero, qui corpus B. Venantij Martyris Solenhofum adferebat, ita scribit. Postquam Alpium iuga transiit, & in fines Baiouariorum peruenit, iam securior effectus, feretro impositum, & confluentibus undique populorum turbis, & excelsa Deum voce laudantibus, detulit in Cellam, qua vocatur Suolenhus, in regione Sualaueldonia, & ad australem plagam altaris Ecclesiae, in feretro, sicut allatum erat, honorifice posuit. Erat autem eo tempore praepositus Celle illius, ex fratribus nostris, nomine Santbaratus; qui statim misso nuntio, omnem rei gesta ordinem mandauit Abbati; rogans sibi renunciari, utrum Sanctas reliquias, eo in loco, vbi tunc erant, permanere uoluisset, an sibi ad monasterium transferri. Omnes enim populi regionis illius hoc petebant, idque summis votis optabant, ut corpus sancti Martyris ibi habere mererentur; cuius opem in diuersis infirmitatibus quotidianis sentiebant. Abbas uero cum audisset, mox de suis duos Monachos Presbyteros misit ad praedictum fratrem, praecipiens eis, quantum potuissent eeleritate, sanctas illas reliquias sibi adferrent.

Porro ex duobus illis, quos Rhabanus Abbas ad

deferendas sacras reliquias misit, alter erat ipse Rudolphus, qui hæc litteris mandauit, & in super addit: Erat iam tunc per omnes pænè regiones illas celebre nomen S. Venantij Martyris, ppter virtutes & miracula, qua Christus Dominus & Rex Martyrum, per eum facere dignatus est, de quibus, qua facta sunt in eodem loco, priusquam venirent, qui ab Abbate missi fuerant, paucis arbitror esse perstringenda. Et post enumerata aliqua miracula subiungit. Cum venissemus ad locum, quem Solenhus vocari supra diximus, paratis celeriter omnibus, qua ad deuotionem sanctarum reliquiarum necessaria videbantur, prima luce, post completum matutinum officium, celebratis ex more missarum solenniis, cum ingenti luctu ac mærore eorum, qui ibidem erant remansuri, sanctum illum thesaurum sustulimus, atque iter ingressi, portare cepimus: erat enim cælum graue nubibus obscurissimis, & quacitò in ingentem pluuiam resolui possent, nisi id virtus diuina fieri prohiberet. Nam tota nocte illa sine intermissione, pluebat: sed superna gratia, per merita Sancti sui, id, quod timebatur, longè aliter esse fecit. Nam, ut pergere cepimus, mox dissipatis nubibus, cæli serenitas venit; & per viam luti parum inuentum est: riui quoq; qui in tam magna, & iugi pluuiâ, ut eâ nocte erat, crescere solebant, penè nihil creuisse reperti sunt. Pergentes autem per singulas villas, obuiis populorum turbis excipiebamur; qui nos in dicendis laudibus diuinis, & sacro onere ferendo, non segniter adiuuabant, donec veniremus in locum, qui vocatur Holtzkirich, situm in Alamanniâ; ubi congregatâ maximâ multitudine promiscui sexus & ætatis, cum ingenti lætitia suscepti sumus.

Iterum anno Redemptoris DCCC. XXXVIII. allatæ sunt pro Fuldensibus Reliquiæ ex Italia; quarum curatores, cum ad Cellam Solonis peruenissent, suscepit eos Santharatus frater nosser, inquit Rudolphus, quem  
cellula

cellule Suolonis prepositum fuisse supra diximus, & aduentum quidem eorum cum celeritate nunciare curauit Abbati, Reliquias verò in loco, qui vocatur Holtkirche honorificè collocauit. Conuenit autè illuc multitudo magna virorum & mulierum, quia multa & euidentia patrabantur miracula. Hæc & alia cum lego; exclamare cogor. O Cella Solæ, ò curia Solonis, ò domus antiqua, quàm hodie dispari dominaris Domino. Quid enim disparius Sola & Luthero? Sola & Melanchrone, & ne longum faciam, Sola & cæteris omnibus Prædicantibus tam Lutheranis, quàm Calvinianis, qui expulso primo & antiquissimo incola Solone, eius Cellam & Curiam nunc occupant, contaminant, funestant, & bona à Regibus & Imperatoribus donata, deuorant & abliguriunt. Quàm diuerso etiam spiritu Sualefeldensis tractus indigenæ nunc calent, quibus olim Sanctorum Reliquiæ summo in honore ac pretio erant. Quid hæc ætate? Omnia vice versa; etsi hio nò tam in plebe, quàm in seductoribus Logodulis culpa reſidet. Plebs pleraque ad pietatem, inſitâ quadam bonitate propendet. Ablegentur impostores; nec in reducendis seductis ad fidem S. Solæ admodum ardua difficultas erit. At satis de his.

Illud obseruetur, cum supra in Diplomate Ludouici Imp. & alibi legis vel audis, pagum Sualefeldt, pagi nomine non intelligendum esse id, quod Germanicè vocamus *ein Dorff*; sed id quod latinis est regio vel prouinciæ alicuius tractus. Hoc ex Rudolpho planum fit, qui quod in Diplomate Ludouici appellatur *pagus*, appellat *regionem*: *Detulit in Cellam, que vocatur Solenhus in regione Sualaneldoni, seu Sualafeldensi.*

Jdem Rudolphus in eodem Commentario de

vita

### Syntagma de

96  
numerum; aut diploma ad Carolum Magnum non spectat; cum certò compertum sit, Carolum Magnum Anno Redèptoris DCCCXIV. diem supremum obiisse. Credibilis est pertinere ad Carolum Crassum, qui anno Domini DCCCLXXXII. secundum in Imperio annum agebat; nisi quis extrito vnico centenarij signo diploma hoc reuocet ad annum Christi DCCCLXXXII. quo tempore iam in Francia regnabat Carolus Magnus. Sed primum mihi verisimilius apparet.

Pag. 292. v. 27. apponam. Hic tamen tacitus prætereire nequeat; scilicet Leonis Creccelij, ex Monacho



vita Rhabani, de quodam Diacono, qui Roma Reli-  
quias in Germaniam adferebat. *Transiensis Alpiumiu-  
gis, venit ad quandam villam, quæ vocatur Kentibryto, in  
pago Zurichgauue, &c. vbi clarum est, pagi nomine acci-  
pi totum illum Heluetiæ tractum, quem hoc etiam  
æuo nominamus Durgenu, seu Turgeni à Dura flumi-  
ne. Fumosenim nobis vendunt Stumphius in Chro-  
nicis Helueticis, & alij nonnulli, qui pagum Zurich-  
gavv & pagum Durichgavv distinguunt, vnus enim  
& idem est, neque vlla alia differentia nisi duarum li-  
terularum Z & D intercedit, quas inter se permutari  
non modò apud Germanos, sed & apud Græcos no-  
tum est: hinc Diabolus, Zabulus. Diæta, Zæta. sic Durich  
Zurich. Eadem notione vsurpat pagi vocabulum  
Ermenricus in S. Solæ vitæ; in pago *Suala*, hoc est, in re-  
gione Svvalfeldéfi, ipse locus (Cella Solæ) situs est: Quæ  
notione sæpe etiam occurrit in Traditionibus Fuldé-  
sibus editis à D. Pistorio.*

De Anno, quo Cella huius conditor B. Solæ obiit,  
nihilliquet. Utinã Ermenricus, qui S. Solam 111. No-  
nas, hoc est, tertio die Decembris ex vita hac excessit,  
se annotat, etiam annum Redemptoris nostri adie-  
cisset; obscuræ historiæ multum lucis affudisset.

Festum S. Solæ celebratur in Diocesi Eystetten-  
si, tertio die Decembris, ad quem Molanus quoque in  
Additionibus ad Vsuarium anniuersariam B. Solæ  
memoriam refert. Itaque Trithemius corrigendus  
est, eumque secutus Wion lib. 3. Ligni vitæ, qui festum  
eius IV. Nonas, hoc est, secundo die Decembris peragi  
seribunt. Quid actum sit cum sacris B. Solæ Reliquiis,  
aut quò deuenerint, postquam Beati viri Cellam seu  
Curiam Lutherus inuasit, diripuit & expilauit, mihi  
incomperum est. *to*

CAPVT

*Nisi quod lib. 2. Antiquit. Fuldensium cap. 8. Brouerus noster scribit,  
constare S. Solam translatum esse Fuldam, nec  
insignibus Imperij.*

explicat vnde hoc constet; aut num ante Lutheranam  
hæresin, quæ B. Solæ Cellam occupauit, translatio ista  
facta sit. In Additionibus quoque ad eiusdem libri idem  
caput, dicit; Anno Salutis MDCXIII. apertam esse  
tumbam S. Solæ cuius exigua portio, ut ait, se obtulit, fa-  
ciata aliorum patronorum ossibus. Ex quo coniectare licet,  
non totum corpus S. Solæ Fuldam ex Solenhoffio ve-  
nisse, nisi fortè temporis successu, ut fieri solet pietas  
hunc thesaurum particulatim ad varia loca transtule-  
rit; nam & Wittebergæ, cum præcise honos religioni  
staret, quatuor particule de S. Solæ asseruabantur &  
colebantur.

## CAPVT V.

*De aliis quibusdam Ecclesia Eystetten-  
sis Patronis.*

**I**N libro, quem Gundackarus Episcopus Eystettensis pingi & scribi curauit, ante picturas Episcoporum; visuntur imagines patronorum Eystettensium; ex quibus primarius S. Bonifacius, medius inter S. Willibaldum & S. Wunibaldum. S. Bonifacio vel iconi eius adscribitur hic versiculus antiqui styli & æui.

*Esse Bonifacius fac nos bonitate capaci.*

S. Willibaldo iste.

*Willibalde tuus ser opem per dona salutis.*

S. Wunibaldo iste.

*Wunibalde tuos rege cum cunctis Sualafeldos.*

De S. Willibaldo & S. Wunibaldo satis iam diximus. De S. Bonifacio post rerum Moguntiacarum libros Serarij aliquid dicere, esset post Homerum Iliadem & post Virgilium Æneidem scribere. Quamquam passim his Observationum libris aliquid de S. Bonifacio interspersum est: qui eò maiore in veneratione & pretio apud nos esse debet, quò acerbius & truculentius ab Hæreticis flagellatur, nominatim à Balæo Centuria II. & XIV. Scriptorum Britannia, & ab Illyrico Centuria VIII. & in Catalogo testium veritatis: Nam huius adeò immanis insectationis alia non est causa, quàm quia S. Bonifacius Romanæ & Apostolicæ Sedi addictissimus erat; ab huius nutu totus pendebat, ad hanc omnia referebat: ab hac responsa expectabat & expetebat; hanc de minimis maximisq; rebus certiorè reddebat, præcipuè de rei Christianæ

stianæ in Germania progressu, fidei q; propagatione & vitiorum extirpatione. Eam ob causam vociferantur Balæus & Illyricus, Bonifacium *non tradidisse Germanis fidem Christianam; sed Romanam;* quasi hæc diuersa sit à Christiana, aut temporibus S. Bonifacij habita fuerit diuersa, nisi fortè à pauculis quibusdam exoticis capitonibus, quos totus orthodoxus tunc mundus detestabatur.

Placet tamen Illyrico, quòd Bonifacius, quem pro sua in illum reuerentia *malefacium* appellat, Pontificibus Romanis nonnulla Romæ fieri solita, indicatis; quibus peregrini offendebantur & scandalizabantur. Quasi verò nesciamus Romæ, vt & in aliis magnis urbibus fuisse, esse, & futura esse vitia, quæ emendatione & eradicatione egeant, quibus patefaciendis Bonifacius bonam operam, & ipsis quoq; Pontificibus gratam nauauit: nam quòd Illyricus præterea oggerit, Bonifacium, tanq; uam *legem Tyrannicam, condemnasse interdictum de matrimonio ineundo inter compatres*, id purum putum est mendacium; nihil enim aliud dicit in epistola ad Nothelmum, quàm se nihil hæc de re in patrum decretis vel canonibus, & in sacro eloquio reperisse; rogatq; vt si quid huiusmodi Nothelmus compertum habeat, id secū communicet, & ex ignorantiarum faciat; se verò Romanis, quoad hoc coniugij impedimentum, obtemperare nolle; ne minimo quidem verbulo insinuat.

Similis vanitas est, S. Bonifacium, *non fuisse certum de primatu Papa:* imò adeo certus fuit; vt nil nisi conscio Papa agere, aggredi, cōstituere, vel decernere uoluerit: nam quòd in epistola ad Cuthbertum, ita scribit: *Sic enim, ni fallor, omnes Episcopi debent Metropolitanis, &*

*ipse*

ipse porro Metropolitanus Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere, &c. id nullius dubitationis argumentum est: nam illud, nisi fallor; non semper incertitudinem significat; quia sæpe etiam valde certi hac phrasi uti solemus; ut si dicā: Sic enim, ni fallor, Imperator in Imperio Romano summus Princeps est, cui ceteri omnes subduntur. An id eo hac formula loquendi significo, me dubitare, vel certum non esse, an Imperator sit summus in Imperio Princeps? Sed iam ulterius pergamus.

Post tres supradictos patronos sequitur S. Vitus, cui hic versiculus attexitur.

*Vite puer fortis pœna nos subtrahere mortis.*

cui à dextris est S. Walpurga cum hac inscriptione.

*Nos Walpurga Deo conterminet Anglica virgo.*

A sinistris Gunthildis, de qua supra, cū hoc carmine.

*Tu prece condigna Gunthildis adesto benigna.*

Ex altera parte sequitur S. Sola Abbas hac epigraphe.

*Fac solem vitæ nobiscum Sola manere.*

A dextris habet Dedickerum hoc adiuncto versiculo.

*Sit Dedickero plebi spes altera clero.*

Ex altera Katoldum cum hoc epigrammate.

*Viscera peccati poscat medicina Katoldi.*

His subiungitur in medio Gotthardus cum hoc versiculo.

*Gotthardi votis veniat protectio nobis.*

Sed quis iste Gotthardus? Num Episcopus Hildesheimensis, antea Abbas Althensis in Bauaria? A dextris est imago cum hoc carmine.

*Nobis Annodatos fac annos esse beatos.*

A sinistris alia cum hac inscriptione.

*Crimine polluto veniam prece conferat Vro.*

r 2

De

gustino Luti-  
varijs Ordinibus pag. 29. scribit, ex Reliquijs Willi-  
ldi Episcopi Eystettenfis manasse sacrum liquorem, male-  
bentibus saluiferum. Vbi Apostata miraculum, quod  
t sororis Walpurgæ, transfert inscienter ad S. Willi-  
aldum, sine vlllo vllius Auctoris testimonio.

Pag. 408. v. 20. Anonymus. Adde: Rofert Brovve-  
us noster lib. 2. Antiquit. Eoldensium cap. 12. veterem  
quandam inscriptionem, ad Altinum pertinentem,  
uæ est ista. Anno Domini Incarnationis DCCCXIX.  
indictione XII. mense Ianuarij XVI. Kalend. Febr. dedicatū  
est hoc templum ab Altino Episcopo Eihstatiensis Ecclesia in  
honorem S. Saluatoris Domini videlicet nostri IESV Christi,  
& S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Ioannis Baptistæ, & S. Petri  
Apostoli & ceterorum Apostolorum Domini, & S. Bonifacij  
Martyris Christi, & aliorum plurium Martyrum, Confessorum  
& SS. Virginum. Hæc enus inscriptio, quam refert Bro-  
vverus ad ipsam S. Solæ domicilium. In numerum ta-  
men irrepsit mendum; nam Anno Christi 819. Altinus  
seu Altuinus cathedram Willibaldinam necdum obri-  
auerat.

epitheta pte stegani inigne lecti.  
in medio alia necesse est ferreus clavis  
eminetibus undiq; armata. Anuli nigri  
insignore appropi daria vidi. inscriptio  
hæc. in summo solitariæ hæc  
apendia impleta litera

ΣΗΡ  
ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ  
ΠΡΩΤΗΣ  
ΤΡΟΜΕ

lege Synt. in Bohemia scriptæ: q. multa  
tabulosa in hoc puto vere q. Amalones  
Macedonia inchoerant. Vnde in Bohemia

De his vt verum fatear, nihil mihi compertum est, neque quidquam in antiquis monumentis reperio: Qui repererit, is nobiscum communice, inprimis: quis fuisse Vto, quis Annodatus, quis Katoldus, quis Dedikerus. Fortè fuerit Monachi Benedictini S. Willibaldo Synchroni, vel adiutores in agro Domini excolendo. Est apud Aucastum lib. 4. Annalium Vro Eremita, quem Carolus Magnus primum Abbatem Monasterij Merensis ab se conditi constituit. De qua fundatione exstat Merens Diploma Caroli Magni datum anno Redemptoris DCCC. LXXXII. Sed quis exponat nobis, num iste sit Vto, de quo noster versiculus?

In Margine circa imagines isti versiculi leguntur.

*Gundekar Antistes vix tali nomine dignus.*

Quæ humilitatis vox est, cuius iste Gundecarus studiosissimus erat, Auctor libri & imaginum,

*Constituit vita Deus hoc exemplar utrique*

*E quibus hoc mundo sonuit vox ore rotundo.*

*Me precibus sacris rogo de vitis reparatis.*

*Sparsa fides verbis in eis nec mansit inermis.*

Mirum porrò à Gundackaro omissum S. Richardum, vnum, ex potissimis Ecclesie Eystettensis hoc tempore patronum. An eo tempore Richardi veneratio nondum palam suscepta, & in usum introducta erat: Aliquid subesse oportet, quidquid tandem illud sit: nam vt silentium hoc obliuioni Gundackari attribuas, nihil efficies, quia id omni verisimilitudinis colore caret.

Sed vide, quin & effusè ride, lepidum quoddam & rosas coronandū caput. Abraham Saur quinti Evangelij Sectator, in Diariorum suo historico ad 7. diem Februarij,

78 An Katoldus seu Cataldus est ille, cuius anniuersariam memoriam Martyrologium Romanum signat X. die Maij? qui Tarensinorum in Calabria olim Episcopus, nunc primarius patronus est, natione Hibernus. Hoc constat, ante & post aduentum S. Willibaldi, in Germaniam, plures sanctimonia vitæ celebratos Christianæ fidei doctores cum S. Kiliano Martyre & Apostolo Franconia ex Hibernia profectos, illustrasse Euangelij luce loca Eystadio confinia; Et multo adhuc plures Socios Hibernorum S. Ruperti & S. Virgilij, Episcoporum Salisburgensium, & alios S. Erhardi & S. Alberti, (qui Ratisbonæ requiescunt) omnes ferè angulos Bauariæ & Norici miraculis, vitæ exemplo, & verbo Dei repleuisse, ex quorum numero vnus fortassis Katoldus iste Eystadiensis fuit, nisi quis malit eum accensere primis indigenis Monasterij, quod in Eystetteni suburbio Scotis seu Hibernis iam olim exadificatum est.

78

Est apud Aucastum lib. 4.  
 Annalium Vro  
 Vtgo Eremita, quem Carolus  
 Magnus primum Abbatem Monasterij  
 Merensis ab se conditi  
 constituit, de quo vide  
 etiam Hurdium in Metropoli, m.  
 h. p. Carolum S. Angolum on.  
 S. Benedicti Augustini Vindelicorum  
 ad s. Vdalricum Episcopi. Sed quis  
 veros nos facit Vtonem  
 tom, esse hunc, de quo supra  
 scriptus versiculus?  
 Crimine polluto uentum pro  
 confirmat Vto

bruarij, conatur S. Richardum ex antiqua statione & possessione, quam tot annis in Calendario obtinuit, exturbare, inque locum eius substituere. At quem? Robertum Barns Anglum, flagitiosum Apostatam, qui Witebergæ cum Luthero Lutheranus erat; cum Zvvinglianis in Anglia Zvvinglianus; quem ipsemet Henricus VIII. Rex iam ab unitate Ecclesiæ segregatus, & in schisma miserabiliter lapsus, flammis voracibus absumendum tradidit. En, lector, quis sit illerantus, cui S. Richardus cedere iubetur, idque ex edicto eius, cui si vel vnus boni viri pilus fuisset, ab hac permutatione abstinuisset, neque in locum *Angeli*, Anglum nulla dote quam perfidia magis spectabilem, sufficere studuisset.

## CAPVT VI.

RHYTHMI MEDIBARDI DE  
MIRACVLIS S. WALPVRGÆ, QVÆ  
WOLFARDVS HASENRIETANVS  
quatuor libris complexus est:

*Nunc primum*

Ex manuscripto Codice Bibliothecæ Episcopalis Eystettensis publicati.



*Walpurgæ sacra tot signis glorificata,  
Prosaicè scriptam \* rhythmo libet edere vitam;  
Virginis eximia placeat laudes iterasse;  
Quas iterat signis Rex Regum quotidianis.  
Filia regis erat, sed egenam se faciebat,  
Dives ut in Christo regnaret semper in ipso;  
Quàm sit chara Deo monstrant miracula crebro.*

\* Soluta oratione scriptam à VVolfhardo.

Qua meritis eius confert de virgine natus.  
 Profam pertasos cantatio mulceat ipsos:  
 Profam VVolfhardus, rhythmum fecit Medibardus.  
 Aeterna vita det premia Christus utrique,  
 Virginis oratu pro deuoto famulatu.

Paraclete Sancte Veni,	Inde Hierosolmam,
Perfla hortum cordis mei;	Adiit, hinc duce Christo
Vt fluant hic aromata,	Ad nos vsque peruenit.
Tibi redolentia.	Fratre suo memorato,
Vt de ventre fluant meo	Præsulari infala
Aqua viua flumina.	Sublimato, Angelicam
Linguae mihi da precor	Vitam inter homines
Copiosa munera;	Qui ducebat, Apostolus
Qui dedisti in munere;	Nobis à Deo datus,
Tot linguarum genera.	Inclita VValpurgis virgo:
Vt possim promere dignè	Mansit cum VVuncbaldo
Qua tua sunt munera.	Fratre æque sanctissimo,
Munera isthac sunt tua,	Heidenheim cœnobio.
Quod Sanctorum anime,	Hinc vt sol & luna totam
Adhuc carne prægrauata,	Ornant Sualaueldiam,
Terrena despiciunt.	Quo translato de mundanis
Et superna concupiscunt.	Ad caelestem gloriam,
Hoc VValpurgis sacra virgo	Alma virgo memorato
Tacta desiderio.	Præfuit cœnobio
Hoc amore inspirata	Monialibus collectis
Semetipsam abnegans,	Christo deuotissimis,
Tulit crucem & secuta	Quo in loco dum diuino
Est Christi vestigia.	Instaret seruitio:
Qua cum esset regis nata	I. Quadam die vespertino
Regales diuitias,	Tempore egrediens,
Pro amore summi regis	Ipsa templum Dei viuum
Penitus contempserat.	Manufacto de templo,
Et secum totumque mundum	Nullo inuitante, domum
Deiicit viriliter.	Vicini cuiusdam intrat,
Hac educta de patria	Cuius seminecem natam
A fratre sanctissimo	Eius in cubiculo,
VVillibaldo primum Romam,	Dum per noctem orat totam

Reddi

Reddidit fanissimam.  
 Cui parentes puella  
 Cum offerrent plurima  
 Devotissimè Xenia,  
 Respuit pecuniam.  
 Quia quod gratis accepit,  
 Gratis dare voluit.  
 II. iterum cum nocte quadam  
 Custos monasterij,  
 Lumen sibi denegaret,  
 Dormitum secesserat,  
 Incœnata & fraterna  
 De morte tristissima.  
 Et ecce in ancillarum  
 Dei dormitorio,  
 Lux immensa cœlo missa,  
 Totâ nocte splenduit.  
 Quod sorores vt viderunt,  
 VValpurgæ insinuans.  
 Hoc illa nequaquam suis  
 Attribuens meritis,  
 Sed illarum sanctitati.  
 Grates agit Domino;  
 Et veram humilitatem,  
 Corde seruat intimo.  
 Quanto namque in se Dei  
 Vigere clementiam  
 Sensit, tanto arctiori  
 Se addixit regulæ;  
 De virtute in virtutem  
 Conscendens quotidie.  
 Superstes vtrique fratri  
 Vtriusque breuiter,  
 Sed veraciter conscripsit  
 Vitam insignissimam.  
 Tandem Christo ipsa suam  
 Resignauit animam.  
 Cuius corpus supra dicto

Quo conuersata loco,  
 Sepultura est traditum  
 Officiosissimè,  
 Vbi \* quiescit in pace  
 Tempore non modico.  
 Præsul donec Orcharius  
 Ab ipsa commonitus,  
 Corpus eius reuerendum  
 Sublatum solemniter,  
 Aureacensem ad suam  
 Transtulit toparchiam.  
 Multis annis euolutis,  
 Erchanboldo Præsule,  
 Exorante Moniali  
 Liubila prædiuite,  
 Apertum est Mausoleum  
 Virginis eximia.  
 Memorata Monialis  
 Datis cunctis prædiis,  
 Accipit desideratas  
 Virginis Reliquias.  
 Quibus sublatis ad sua  
 Perrexit latissima.  
 III. Hac in via puer quidam  
 Obuiant feretro,  
 Caduco affectus morbo,  
 Quo sanato, protinus  
 Odor miræ Suauitatis  
 Sequitur miraculum.  
 IV. Ipso die puer alter  
 Caducus similiter,  
 Se vniuit portantibus  
 Sacratas Reliquias,  
 Et inde præsanitate  
 Grates agit Virgini.  
 Reliquiis exoptatis  
 \* Mœnheim transportatis  
 Et Ecclesie illatis,  
 V. Ipsa

\* Mœnheim.

V. Ipsa



- V. Ipsa nocte Liubila  
Senior per visum quidam  
Assistens, sic monuit.  
Liubila, inquit, cur dormis?  
Curve ad Ecclesiam;  
Sanctus enim Villibaldus  
Intrauit cum plurimis,  
Visurus qualiter suam  
Sororem locauerit.  
Surgens illa fecit iussa.  
Immemor passionis,  
Erat enim podagrica,  
Plurima per tempora;  
Sed perfecte est sanata,  
Pereunte podagra.
- VI. Ex utero matris curuum.  
Mirè sanat Leibolfum,  
Qui abiectus tripodite  
Seruiuit Ecclesie;  
Omnibus diebus vite  
Grates agens Domina.
- VII. Cereus ingens à quodam  
Est allatus Comite,  
Qui diuinitus accensus  
Ardebat per triuuum.  
Quarto die hora nona  
Est sponte lux extincta,
- VIII. Sequitur mox prodigium  
Ingens ac mirificum;  
Fores quippe Ecclesie  
Clausa sunt diuinitus;  
Quae post duas horas  
Patefiunt iterum.
- IX. Duae quoque mulieres  
Manuum curuedine,  
Inhoneste aduenerunt  
Missarum solemnitas;  
Quae astantes impetrant
- Sospitatis gratiam.
- X. Item alteri contracta  
Sospitatem reddidit.
- XI. Cuidamque claudicanti  
Incessum redintegrat.
- XII. Engilsumda Bergilense  
Opem miram conulit.
- XIII. Geila contumax matrona  
Eius festa famosa  
Inhonorans, sed bis ternis  
Subacta piaculis,  
Gloriosorem fecit  
Sanctitatem virginis.
- XIV. Mulieri Francigena  
Curuum sanat brachium;  
Quae addicta seruitio  
Incurfatur denuo;  
Sed reddita libertate  
Sospitatem recipit.
- XV. Hinc quendam fastidiosum  
Fame panem mortuum,  
Alloquens per visionem  
Monet ut de calice  
Eius biberet, quo factus  
Esuriit solito.
- Secundi libri Mira-  
cula.
- I. Matrona sollicitate  
Perditum restituit  
Rifile quod illa statim  
Misit ad canobium,  
Conseruaretur ut ibi  
Hoc in testimonium.
- II. Cecus quidam adbeata  
Virginis praesidium,  
Sincera confugit fide

- Receptoq; lumine,  
Semet saluatricis suæ  
Mancipat seruimini.
- III. Quædam illuc deprecatur,  
Cum venisset, virginem,  
Sacculum eulogiarum  
In via perdidit,  
Quem *Valpurgis* inclamata  
Reuersa restituit.  
Quem inuentum in gremio  
Seruientis Domine  
Disperditis eulogis  
Elemosinariis  
Destinauit redditici  
Ob signi memoriam.
- IV. Mater quadam lætabunda  
Filiorum quatuor,  
Sed tribus morbo absumptis  
Effecta tristissima,  
Voto factio matri sanctæ  
Quartum morti eripit.  
Mater voti non immemor  
Ad *Valpurgam* properat;  
Ducens secum voti causam  
Puerum superstitem.  
Cuius speratam miro modo  
Inuenit & obtulit.
- V. Miserum quendam caduco  
Morbo deditissimum  
Opem sanctæ matri longo  
Implorantem tempore,  
Sanitatis exoptata  
Mirè fecit compotem.
- VI. Tempore famis acerbe  
Duo quidam inopes,  
Peruagantes loca plura  
Pro victus penuria;  
Quadam die peregrino

Hi iuncti sunt cuidam,  
Quæ postquã ad sanctæ matri  
Tendere cœnobium,  
Percontantes recognoscunt,  
Eiusdem itineris  
Promittunt conuiatores  
Sese deuotissimos.  
Dumque simul ambularent,  
Sermonem pacifico,  
Tempus affluit prandendi,  
Sed duo famelici  
Nil habentes viatori  
Assidunt beneuolo.  
Cuius postquam viatico  
Benignè refecti sunt,  
Paruam requiem sumpturi,  
Inseruunt se gramini.  
Sed nouum conuiatorem  
Heu somnus mox opprimit,  
Quo viso nefandi duo  
Suadente diabolo  
Insurgunt in dormientem  
Iugulantes impiè.  
Cuius, sicut Abel, sanguis  
Deo clamat de terrâ.  
Quorum vnus ut cadauer  
Occultaret mortui,  
Impositum dorso suo,  
Deportat in abdita;  
Sed cum vellet deponere  
Adhæsit firmissimè.  
Sic miser inuitus portat  
Quem sponte peremerat.  
Quadam die fortuitu  
Occurrebat socio,  
Quem rogat obstupefactum  
Ut ferat auxilium.  
Qui arrepto quo præcinctus

Videbatur gladio,  
 Dum secare à viuento  
 Voluisset mortuum,  
 Mirum dictu mox & ipse  
 Cohæsit firmissimè.  
 Tandem memor nefandorum  
 Quæ patrauit scelèrum,  
 Confitetur puro corde  
 Se peccasse grauitèr.  
 Spondet veram si soluat  
 Christo pœnitentiã.  
 Cuius votum quia pium  
 Exaudiuit Dominus.  
 Solutus à tam horrenda  
 Compage cadaueris,  
 Deo & Virgini sanctæ  
 Grates agit debitas.  
 At miser ille onustus  
 Tam pudenda sarcina,  
 Iamque factorem non ferens  
 Putridi cadaueris,  
 Destinât indignam vitam  
 Digna morte linquere.  
 Versus ad Rheni fluentia  
 Cum horrenda sarcina,  
 Intrat alueum profundum  
 Intraturus Tartarum.  
 Sic punitur homicida  
 Vltione diuina.  
 Suffocatum Rheni fluctus  
 Eiciunt protinus,  
 Et cum Iuda traditore  
 Sepultura caruit.  
 Qui interitum amico  
 Intulit pacifico.  
 Longè lateq; audito  
 Signo tam mirabili,  
 Deus Deorum laudatur

Et Valpurgis merita  
 Multis in partibus orbis  
 Habentur pro maximis.  
 Cateruatim appropèrant  
 Populorum agmina,  
 Egros suos ad virginis  
 Deferunt clementiam.  
 Et peccatis deprecantur  
 Suis indulgentiam.

VII. Inter hæc bis binis cæcis  
 Restaurauit lumina,  
 Quorum duo ex vtero  
 Matris cæci fuerant.  
 Vni ambo, sed alteri  
 Vnus datur oculus.

VIII. Reginensis villa ciues  
 Causa orationis,  
 Aduentantes pernoctarunt  
 Quibus somno deditis,  
 Bini abducuntur equi  
 Furibus à pessimis.  
 Verùm fures cum rapina  
 Se putantes abire,  
 Gyrant castra tota nocte  
 Volentes euadere.  
 Sed dextera Dei fecit  
 Virtutem non modicam  
 Nam aurora in fulgente  
 Capti, furti crimine  
 Equos reddunt pudibundi,  
 Et confusi maximè.  
 Reginenses redierunt  
 Ad sua latissimi.

IX. Claudū quendam non vtrumq;  
 Sed reptantem manibus,  
 Monstrum hominis informè  
 Matris clementissimæ  
 Miseratio ad statum

Reformat legitimum.

## Miracula libri tertij.

- I. Puella quædam ab ipsis  
 Heu cæca cunabulis,  
 Audita opinione  
 Virginis eximia,  
 Desiderio flagrauit  
 Veniendi maximo.  
 Quam quidam in visione  
 Nocturna submonuit,  
 Oratorium adiret  
 Tanti desiderij.  
 Oblatas mundas offerret,  
 Altari imponeret.  
 Quas illatas statim binæ  
 Gallinæ comederent;  
 Quibus pasta deseruirent  
 Matris excubiis.  
 Venit, artulit, imponit  
 Preces fudit intimas.  
 Astant duæ moniales  
 Gallinæ videlicet,  
 Præuisæ in visione  
 Quæ oblatas colligunt,  
 Et requirunt diligenter  
 Quæ, vnde, cur venerit.  
 Quibus illa dum exponit  
 Singula veraciter,  
 Domino propitiante,  
 Et beata Virgine,  
 Incognitum lumen cœli  
 Nouis hausit oculis.
- II. Mulier prægnans in partu  
 Constituta proximo.  
 Votum vouit vt si præsens  
 Vinceret periculum,  
 Natum puerum cum donis

Præsentaret virgini.  
 Quo concesso voti rea  
 Opportuno tempore,  
 Offerret natum cum promissis  
 Ad templum munusculis  
 Sed retentat in soluendo  
 Voto panem vnicum.  
 Quo continuo amisso  
 Egressura de templo,  
 Dum se aqua spargit sacra  
 Panem male subtractum,  
 In petra fontis sacrati,  
 Iacentem obstupuit.  
 Ergo quem ad suum malè  
 Vsum surripuerat,  
 Ad sanctæ gloriæ matris  
 Protestandam liquerat.  
 Ananiæ & Saphyræ  
 Fraudem vix effugiens.

- III. Sed quid dicam de puluino  
 A matrona perduto  
 Mirabiliter inuento?
- IV. Quid de vantis perditis,  
 V. Et receptis? Quid de vase  
 Amisso repertoque?  
 Hæc sunt virginis beatæ  
 Gloriosa merita,  
 Hæc illius sanctitatis  
 Præclara indicia.  
 Quod in via quidem sua  
 Nec patitur scandala;  
 Quis miretur, quod singula  
 Faciat miracula,  
 Singulis super personis,  
 Cum in vna fœmina  
 Sit pariter operata  
 Quinque mirabilia.
- VI. Mulier quædam caduca,

Præterea & muta,  
 Venit eius ad gratiam,  
 Sanitate donatur.  
 Sed gratias stulta nullas  
 Agens, redit ad sua.  
 Post decem hebdomadarum  
 Expletum curriculum,  
 Audiuit per visionem  
 Monitoris hanc vocem.  
 Cur, inquit, mulier stulta  
 Salutis es ingrata,  
 Surgens virginis ad domum  
 Gradu vade concito,  
 Et completo precamine  
 Famulatum debitum  
 Sponde, tua saluatrici,  
 Et dum viuas exhibe.  
 Surgens venit, opus cœpit,  
 Domum lata rediit.  
 Sed aliud quadam die  
 Operis dum faceret,  
 Oculus eius sinister  
 In genas profiliit.  
 Tum peccatis hoc imputans,  
 Recurrit ad virginem.  
 Confitetur se errasse,  
 Oculus refiliit.  
 Quod temeritas abstulit,  
 Humilitas reddidit.  
 Quadam die ab hospita  
 Persuasa, ut cerillum  
 Acciperet, ad purgandum,  
 Hæsit linum manui.  
 Ope rursus sanctæ matris  
 Manu gaudet libera.  
 Litaniarum diebus  
 Nendi opus aggressa,  
 sed fusus in hæsit dextræ

Indissolubiler,  
 Quæ ad dominam recurrens  
 Opem consecuta est.  
 Sed & ante paschæ dies  
 Culcitram resarciens,  
 Acu manu infixæ,  
 Virginis suffragium  
 Fideliter implorando  
 Euasit periculum.

VII. Claudam viroque in pede  
 Saluam fecit foeminam  
 Quæ neglecta gratiarum  
 Actione rediit,  
 Sed mox pristini incurrit  
 Languoris incommodum.

VIII. Inter hæc ternos mendicos  
 Aduentantes paritor,  
 Cacos à nauitate  
 Solitâ clementia,  
 Sancta virgo dante Christo,  
 Nouis donat oculis.  
 Numerum excedent tanta  
 Quæ fecit miracula.

IX. Pisce donat oratores,  
 Quem ipsi attoniti,  
 Mox remittunt conseruandum,  
 Signi ad indicium.

X. Turingenses duo quidam  
 Mutam secum puellam,  
 Sacrosanctæ ad virginis  
 Tulerunt suffragia.  
 Cui reuertenti clara  
 Donata est loquela.

XI. Cuiusdam boues matrona  
 Adeuntis virginem,  
 Fures subduxerunt noctu  
 Sed auferre penitus  
 Non valentes, reliquerunt

Via stantes publica.

XII. *Quadam die lupus atrox*  
*Gregem niderenbeimensem*  
*Inuadens, rapuit suam,*  
*Quam & lustris intulit.*  
*Sed non audens lacerare*  
*Tertia reliquit die.*

Miracula libri quarti.

I. *Magnifica & famosa*  
*Virtutum operatrix,*  
*Gressum claudis reddit quini,*  
*Sed diebus singulis.*  
*Nullus venit anxius,*  
*Quin rediret gratulans.*  
 II. *Sed & regis pacifici*  
*Ludouici filia*  
*Hiltegarda, cum Luitboldo,*  
*Et rioso comite,*  
*Ad gratiam matris sanctae*  
*Corde venit supplici.*  
*Regis nata mutum quendam,*  
*Comes surdum attulit*  
*Experturi sanctitatem*  
*Eius famosissimam.*  
*Quos utrosque sanos fecit*  
*Virgo beatissima.*  
 III. *Sed & ipsis astantibus,*  
*Multisque fidelibus,*  
*Ipsa eademque hora*  
*Mater insignissima,*  
*Reparauit & alium*  
*Puerum claudisimum.*  
*Quo viso hospites tanti,*  
*Grates Christo maximas,*  
*Et virgini persoluentes*  
*Inclytique Xenia*  
*Magni benedictione,*

Remeant letissimi.

IV. *Miseram & miserandam*  
*Quendam mulierculam,*  
*Damone mirè vexatam*  
*Diurno tempore.*  
*Magnifica operatrix*  
*Signorum, saluificas.*  
 V. *Sed & sexus promiscui*  
*Diuersis temporibus,*  
*Lucis honore priuatis*  
*Reddit visum bis binis.*  
*Et qui venere moerentes,*  
*Iubilantes redeunt.*  
 VI. *Restant plura miracula*  
*In vna perpetrata*  
*Misera muliercula,*  
*Virginis clementia.*  
*Quae nequaquam reticere*  
*Mira sinit gloria.*  
*Sualaueldico in pago*  
*Fuit quadam foemina,*  
*Dominis suis accepta*  
*Atque deuotissima.*  
*Qua languore fortissimo*  
*Egrotare coeperat,*  
*Biennio in languoris*  
*Transacto molestis,*  
*Tandem munere diuino*  
*Paululum conualuit.*  
*Sed cessante vno morbo*  
*Maiorem incidemat.*  
*Namque tam intemperata*  
*Edendi ingluuies*  
*Incessit semisanatam,*  
*Vt nulla edulij*  
*Abundantia valeret*  
*A suis saturari,*  
*Exhaustis iam parentibus,*

Sed fame accrescente  
 Anxiata hinc dolore,  
 Hinc pudore maximo;  
 Tandem diuinitus tale  
 Occurrit consilium.  
 Igitur tota spe sua  
 In Domino posita;  
 Et in virginis beatae  
 Benigno suffragio,  
 Rogat suos se deferri  
 Ad VValpurga gratiam.  
 Quo delata, biduanis  
 Incumbebat precibus,  
 Quibus exorata virgo  
 Gradiendi misera,  
 Qua priuata diu fuit,  
 Sospitatem reddidit.  
 Quo audito dominus eius  
 Effectus latissimus,  
 Venit cum coniuge sua,  
 Multaque familia,  
 Rem videre gloriosam,  
 Gratesque persolvere.  
 Qui cum vellet saluatrici  
 Saluatam mancipare,  
 Abbatissa dissuadente  
 Bonum opus distulit.  
 sed hoc ipsum distulisse  
 Postmodum pœnituit.  
 Nam reuersam domum sanam  
 Languor idem occupat,  
 sed donatam matri sanctae  
 Denuo reliquerat.  
 Adhuc tamen famis dira  
 Manente ingluuie,  
 Cuius mali dum solamen  
 Anxia requireret,  
 Bona quadam monialio

Vocato presbytero;  
 Benedici panem fecit  
 Redditque famelicæ.  
 Quo gustato nequam illa  
 Fames voracissima,  
 Virgine sacra fauente  
 Cœpit se subtrahere,  
 Sic paulatim decrefcendo,  
 Vt prius accreuerat.  
 Sic crescente fastidio,  
 Pro mira esurie,  
 Tandem nil aliud cibi  
 Præter solum caseum,  
 Nihil de potu gustare  
 Nisi tantam lac poterat.  
 Tali pasta edulio  
 Anno ferme medio,  
 Cœpit & hunc fastidire,  
 Acceptumque spuere.  
 Quod dum tolerare nequit,  
 Penitus abstinuit.  
 Sex transactis septimanis  
 Absque cibo potuque,  
 Vix persuasa à magistra,  
 Dum gustat ceruisiam,  
 Gula respiente fluxit  
 Per oculos naresque.  
 Quin & visus dignitate  
 Amissa continuo,  
 Supplicando matri sanctae  
 Corde deuotissimo,  
 Visum pristinum recepit,  
 Cibum omnem respuit.  
 Re ad præsulem perlata,  
 Eandem venerando  
 Commendauit Presbytero;  
 A quo veracissimè  
 Recognouit veritatem

Mira.

*Mira abstinentiæ.*  
*Biennio diuini*  
*Omnigenis dapibus,*  
*Potibus que abstinuit.*  
*Cunctis retro seculis,*  
*Quod miraculorum genus*  
*Est inauditissimum.*  
*Talia per caram suam*  
*Christus mirabilia*  
*Operatur, in diebus*  
*Patrum precedentium,*  
*Diligentia eorum*  
*Quæ scripta nobis reliquit.*  
*Nostris quoque temporibus*  
*Fiunt perquam plurima,*  
*Nec cessat quotidianis*  
*Novisque miraculis,*  
*Mundo suam declarare*  
*Sponsam Dei filius.*  
*Nam ex eius sacra tumba*  
*Aqua manat iugiter,*  
*Qua infirmi quique vincti*  
*Medicinæ celeris,*  
*Per merita sanctæ matris*

*Effectum consequuntur.*  
*Sed quod summa esse salus*  
*Sospitasque noscitur,*  
*Quisquis peccatis grauat*  
*Eius ad clementiam*  
*Confugerit, promeretur*  
*Veram indulgentiam.*  
*Quam & nobis scelerosis,*  
*Peccatis innumeris*  
*Prægrauatis, impetrare*  
*Dignetur à Domino,*  
*Sancta virgo tam sanctorum*  
*Germana germanorum.*  
*Hoc pater, hoc natus eius,*  
*Hoc amborum Spiritus*  
*Eorundem trium nobis*  
*Concedat promeritis.*  
*Cuius regnum gloriosum*  
*Nullum habet terminum.*

*Collectis signis sunt septem se-*  
*ptuaginta. Consecrat hunc nu-*  
*merum, Qui spiritus est opera-*  
*tus, Amen.*

Haecenus Medibardus, sed tu, mi lector, Non ad verba, sed ad  
 rem attende. Verba vilia sunt, sed quæ sub verbis latent, grandia.  
 Putamen esui non est, sed dulcis nucleus. Hæretici, nominatim  
 Illyricus in Catalogo, & qui posteris annis Catalogum Illyrici du-  
 plo, si non triplo aut quadruplo, auxerunt, quidquid rhythmo-  
 rum & versiculorum in quibuscunque angulis contra Catholicos  
 & Papam reperiunt, id studiosissime in publicum extrudunt; eo-  
 que ipso sunt satis elegantes & concinni Rhythmi, quod Papam,  
 Clericos, Monachos, Moniales, ritusque Ecclesiæ perstringunt,  
 vellicant, & lacerant. Cur nos simili diligentia non prome-  
 remus in lucem, quæ olim pro gloria Sanctorum, à  
 melioribus, quàm eloquentioribus ho-  
 minibus exarata sunt?

CAPVT



*Adelberti Abbatis Heidenheimensis de sanctis Eystettensibus, & de Heidenheimensi Monasterio commentariolus, nunc primum ex tenebris extractus.*

70 Septimum

**S**extum hoc caput conficiet nobis Abbas iste Adelbertus, qui sub Eugenio III. Pont. Max. ante quingētos propemodum annos, floruit. Multa continet scitu non iniucunda. Codex papyraceus, quo vti sumus, vitiosè scriptus erat. Quare alicubi coniecturis indulgendum fuit, sed modicè. Commentarius lectu dignus est cum alias ob causas, tum propter Diplomata seu Breuia Eugenij III. quorum hic aliqua inuenies.

- I. *Ad Eberhardum Episcopum Bambergensem.*
- II. *Ad Adelbertum Abbatem Heidenheimensem.*
- III. *Ad Eberhardum Bambergensem, & ad Burckhardum Eystettensem Episcopos.*
- IV. *Ad Gerardum Comitem Eystettensem.*
- V. *Ad Adelbertum Aduocatam Heidenheimensem.*
- VI. *Ad Henricum Archiepiscopum Moguntinum.*

Præter hæc insunt in hac Relatione.

- I. *Epistola Eberhardi Episcopi Bambergensis ad Eugenium Papam.*
  - II. *Epistola Legatorum Cardinalium ad Conradum Episcopum Eystettensem.*
  - III. *Breue Adriani IV. Pontificis ad Adelbertum Abbatem Heidenheimensem.*
- Nunc audiamus Adelbertum.

ADEL.



ADELBERTI

SECVNDI POST  
S. WVNIBALDVM  
ABBATIS HEIDEN-  
HEIMENSIS

RELATIO,

QVA RATIONE SVB EVGE-  
NIO III. PONT. MAX. MONASTERIVM  
HEIDENHEIMENSE AD ORDINEM SANCTI  
Benedicti redierit, præmissis non paucis de vi-  
ta S. Willibaldi, S. Wunibaldi, &  
S. Walpurgis.

PRÆFATIO ADELBERTI AD EBER-  
hardum Episcopum Bambergensem.



OMINO & Patri suo sanctæ Bambergensis Eccle-  
siæ venerabili Episcopo Eberhardo, pauper ille &  
modicus, & vtinam monasticæ professionis nomine  
dignus, obedientiam cum humilitate, & orationum  
perseuerantiam cum deuotione. Licet occupationes  
vestras ex magna parte nouerim, negotia enim regni, & Ecclesiæ  
vestræ dispositiones, assiduis vrgent vos meditationibus; ego ta-  
men vester *obediens*, ego, inquam, ille, cui crucem Christi im-  
posuistis portare post IESVM, immensa vestra fretus pietate, au-  
deo me vestris occupationibus ingerere, vt quæ circa Heidenhei-  
mensensem cellam à tempore foundationis, vsq; ad hæc tempora no-  
stra gesta sunt, per me fidelem vestrum cognoscatis. Ego enim *o-  
bediens* vester ex scriptis sanctæ Walpurgis virginis, & ex vita  
S. Wu-

s

S. Wu-

S. Wunebaldi confessoris, & B. Solæ pauca quædam ex plurimis collegi, & in quoddam minutum opusculum, & vt ita dicam, in quoddam manuale redegî. Quod qui legerint, vitam, & conditionem, & sapientiam sanctorum Dei scilicet Willibaldi, Wunebaldi, & Walpurgis cognoscent, quosue labores & quanta pericula pro Deo, in huius vitæ peregrinatione sustinuerunt, & quam remunerationem pro his recipere digni sunt, facile intelligent.

*Eugenius III,  
qui Pötificatum  
inuit anno M. C.  
XLI.*

Præterea operæ pretium duxi sollicitudines & labores, quos Deus nostris temporibus referuauit; & exactam circa prædictum locum, diligentiam vestram: nostra quoq; pericula, quæ sub obedientia vestra, in eodem loco perpeffi sumus, stilo currente colligere, & colligata vestro conspectui præsentare, vt reformatio pristinæ religionis, quæ Eugenio Papa præcipiente, per vos in eodem loco facta est, apud successores nostros in obliuionem non veniant, & præconium vestræ laudis, eo quod diligentissimè & fidelissimè in hac agricultura Dei laboraueritis, apud posteros vestros vsque in finem seculi non pereat. Vestrum est enim post Deum, quidquid in cella Heidêheimensi laborauimus: vestrum, inquam, est, quod de manibus querentium animam nostram elapsi sumus; quia profecto nisi sub vmbra protectionis vestræ, tempore persecutionis latuissimus, innumerabilibus & in exquisitis ærumnis in nihilum redacti fuissimus.

Ne igitur tanti laboris vos pigeat, & ne de cætero manus misericordiæ vestræ ad beneficiendum nobis torpeat, scire vos volumus, qui & quales sint S. Willibaldus & Wunebaldus, & Walpurgis virgo, & quanta veneratione sint digni, vt dum sanctitatis eorum magnitudinè pleniter cognoueritis, nunquam ab eorum laudè cessetis, dicatur quæ de vobis, quod de illa Euangelica muliere scriptum est, quæ præuenit corpus IESU vngere in sepulturam: *vbicumque prædicatum fuerit Euangelium istud, & quod hæc fecit, narrabitur in memoriam eius.* Vtiq; sine celebri memoria vestra, Heidenheimensis cellæ reformatio nunquam in recordatione erit: & dum de his, quæ circa prædictam cellam gesta sunt, non silebitur; hoc quoq; quod vos ob honorem Dei, & reuerentiam sanctorum suorum in hac re laborastis, vbique solemniter prædicabitur. Spero etiam & opto, vt quidquid in hoc opusculo minus benedictum inueneritis, lima vestræ prudentiæ in melius corrigatis: ne rusticitas mea legentibus fastidium generet, vt opusculum vestra auctori-

thoritate in cordibus audientium dulcescat, & nihil falsitatis & deceptionis in se contineat.\*

\* Finis præfationis.

Quicumq; ergo genus & vitam S. Willibaldi, & S. Wunebaldi voluerit agnoscere, ex scriptis S. Walpurgæ Virginis, quæ germana soror eorum erat, pleniter poterit ediscere. Scribit enim, quod Richardus Rex Anglorum pater eorum fuerit. Qui cum à puero semper Christianissimus exstitisset, etiam liberos suos disciplinam Christianæ religionis & viam veritatis, & per se, & per fideles prædigos diligentissimè edocuit. Vnde & S. Willibaldum, adhuc puerum, titulo monasticæ professionis addixit. Cum igitur ille beatus Rex gradus de virtute ad virtutem faceret, vt centuplū acciperet, & vitam æternam possideret, igne diuini amoris inflammatus, assumptis secum liberis suis, regnum & patriam dereliquit, & peregrinationem duram, quæ etiam pauperibus grauis esse solet, aggressus, oceani periculo se commisit; & tandem post magnos labores & multa pericula \* Luccam vsque peruenit, & inibi mortali infirmitate consummatus in monasterio S. Frigidiani, in Domino feliciter requieuit.

\* Lucam.

Post cuius beatissimū transitum, filij eius sanctus scilicet Willibaldus & Wunebaldus, vnà cum sociis suis ad limina Apostolorum Petri & Pauli perrexerunt. Vbi à Gregorio Papa, qui tunc Apostolicæ sedis præsidebat, benignissimè suscepti, orando, & loca sanctificationum circumeundo aliquantum temporis deuotissimè exegerunt. Factum est autem, vt S. Willibaldus, & quidam ex sociis, immenso desiderio accenderentur, quatenus Hierosolymam irent, & loca in quibus Deus homo conuersatus est, viderēt. Quod & ita factum est, S. Wunebaldo, propter infirmitatem magnam, qua tunc detinebatur, Romæ relicto. Cum interim S. Bonifacius Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, Ecclesiasticæ utilitatis causa, ex legatione Pipini Regis, qui tunc temporis Alemannorum Rex extiterat, aduenit. Et cum vidisset S. Wunebaldum, eo quod nepos eius esset, & quod multa de ingenita virtute & constantia animi eius audiisset, multum in Domino gauisus est; & suppliciter Dominum Papam exorauit, vt eius adiutorio talem cooperatorem & socium in agriculturâ Dei mereretur accipere. Cuius petitioni Gregorius Papa libenter acquiescens, rogando præcepit S. Wunebaldo, vt societati & contubernio S. Bonifacij adhereret, & in omnibus eius consilio & præcepto ad seruiendum Deo obediret.

12

Hos

Hoc quoq; S. Bonifacius à prædicto Papa obtinuit, vt si quando diuina clementia S. Willibaldum eius conspectui præsentaret, ad colendam vineam Domini in adiutorium sibi ad Alamanniam eum transmitteret. Cumq; memoratus & sæpe memorandus sanctus Bonifacius omnia, pro quibus venerat, secundum beneplacitum suum peregisset, Apostolica benedictione firmatus, in Alamanniam ad Pipium Regem rediit, & omnia, quæ ei in via acciderant, & quomodo Apostolica auctoritate S. Wunebaldum socium cooperatore laboris sui accepisset, ex ordine narravit. Quod rex libenter audiens, & venerabilis viri faciem diligenter intuens, gratias egit Deo, quod virum de semine regio natum, & seculi contemptorem, crucisque Dominicæ baiulatorem in regnum suum meruisset suscipere, ac deinceps magis ac magis perfecta caritate cœpit eum diligere. Peractis autem omnibus, quæ tunc in regia curia tractanda erant, sanctus Archiepiscopus valefaciens regi, in Turingiam transiit, & ibi S. Wunebaldo habitum monasticæ religionis tribuit, & ad Sacerdotij gradum, omnibus, qui nouerant eum in laudem eius acclamantibus promouit. Sanctus verò Wunebaldus virtutem obedientiæ & humilitatis attendens, in spiritu humilitatis in cunctis, quæ ei iniungebatur perfectum se seruientem exhibuit, & sicut bonus filius, & perfectus discipulus vsque ad mortem S. Bonifacio obediuit.

Videns autem Archiepiscopus, quod B. Wunebaldus in omni iustitia & sanctitate proficeret, septem ei, Ecclesias in Turingia, sicut soror eius S. Walpurga in scriptis suis commemorat, regendas commisit; quas ipse ad tantum culmen perfectionis perduxit, vt vsq; in hodiernum diem, per totam prouinciam illam, in laudem Dei, honor & gloria S. Wunibaldi prædicetur. Tanta enim in eo virtus fuit patientiæ, & compositio eloquentiæ, tanta integritas castitatis, tantaque perfectio & dulcedo charitatis; tanta humilitatis magnitudo, & indefessi laboris fortitudo; vt nunquam frangeretur aduersitatibus, nunquam extolleretur prosperitatibus, vt semper vnus idem in vno spiritu Dei semper appareret, & sale omnimodæ sapientiæ conditus, nulli hominum aliquando grauis existeret.

Cum hæc in Alamannia circa S. Wunebaldum agerentur, beatus Willibaldus frater eius in via, qua Ierosolymam tendebat, in mari & in terrâ, magnis & multis periculis afficiebatur. Nam tem-  
pesta

pestatum procellas, postquam diuina fauente gratia euasit, pericula latronū, famis & sitis, macerationes captiuitatis, & incarcerationis squalores; graues à paganis, per quos transitum fecit, pro nomine Iesv Christi sustinuit passiones. Sed virtute Dei, de his omnibus liberatus, tandem sicut desiderabat Ierosolimam peruenit. Dedit autem ei Dominus tantam gratiam in conspectu paganorum, qui tunc Ierosolimam inhabitabant, vt quocunque pergere vellet, eorum conductu cum pace iret & rediret. Mansit itaq; multo tempore in illis finib<sup>9</sup>, & peragratis omnibus sanctificationum locis, Adriaticum mare iterum transnauigauit, & ad Cassinum montem, vbi ex institutione S. Benedicti Abbatis monasticam religionem vigere audierat, peruenit; vbi cum Petronax pater monasterij eum vidisset, hoc enim nomen Abbati erat, quis, aut vnde esset, aut cuius rei gratia venisset, diligenter inquisiuit. At ille vestræ inquit religionis strenuitatem, & monastici ordinis obseruantiam videre aduenimus, vt imitando bona, quæ facitis, vestro exemplo, & vestra eruditione in melius proficiamus.

His auditis Abbas ad monasterium rediit, & conuocatis fratribus suis omnia, quæ ex ore S. Willibaldi audierat, vniuerso conuentui ex ordine narrauit. Mox vt fratres tantæ sanctitatis, tantæque nobilitatis virum aduenisse audierant, benedicentes Domino gauisi sunt, & vnanimi benignitate consenserunt, vt cum ipsis, & inter ipsos quanto tempore vellet commanentiam, & consortium haberet, vt ipse per eos, & illi per ipsum mutua ædificatione in Domino proficerent. Assumptus itaque sanctus Willibaldus, in omnibus, quæ gessit, cunctis fratribus laudabilis apparuit, & in omni morum & conuersationis honestate imitabilem se exhibuit. Mansit itaque apud eos\* in loco tempore irreprehensibilis, & tunc omnibus valesfaciens, cum licentiâ Abbatis, cum quibusdam honestis fratribus Ecclesiasticæ utilitatis causa ad Dominum Papam properantibus, iterum Romam transiuit, ab eis. Presentatus itaq; Apostolico conspectui, benignissimè susceptus est ab eo, & interrogatus de peregrinationis suæ labore, omnia, quæ ei in via acciderant, & quam misericorditer Deus de manibus quærētium animam eius multiplices eum liberauit, & quam laboriosè Hierosolimam, & eum quanto periculo alia sanctificationum loca, vt pote à paganis possessa, adierit, lacrimabiliter enarrauit. Flebant igitur omnes, tum quia tales iuuenē pro Domino patriam dereliquisse,

\* forte modico.

quiffe, & tantos labores pertuliffe videbant; tum etiam, quia se nihil tale pro Domino peregriffe dolebant.

Interea beatus Papa recordatus, quod S. Bonifacio Archiepiscopo de cooperatione; & societate S. Willibaldi promiserat, paterna exhortatione, & Apostolica auctoritate præcipiendo rogauit, vt sine contradictione ad S. Bonifacium Moguntinæ Sedis Archiepiscopum cum festinatione properaret, & in vinea Sabaoth fidelem cooperatorem, & humilem ministrum in omnibus, quæ ei S. Bonifacius iniungeret, se exhiberet. Cuius præcepto S. Willibaldus in spiritu humilitatis obediens, Apostolicâ benedictione roboratus in Alamanniam ad S. Bonifacium, sicut ei à Domino Papa præceptum erat, peruenit, & quomodo ad seruiendum & ad obediendum ei à Domino Papa missus fuerit, ex ordine narrauit.

Postquam S. Bonifacius, & S. Wunebaldus, cæteriq; eiusdem societatis fideles fratres, tam dilectum Deo & hominibus fratrem saluum receperunt, diutissimè in oscula & in collum eius irruerunt, & præ gaudio flentes Deum largitorem omnium bonorum, pro vniuersis beneficiis suis glorificauerunt. Sed & Rex Pipinus, vt cognouit aduentum tam venerabilis personæ, plus quàm credi potest, cœpit in Domino gaudere, eò quòd tantum lumen iustitiæ regno suo illuxit, eò quòd omnes aduersitates eorum orationibus à regno suo propelli firmissimam spem habuerit. Omnes quoque optimates, qui in regno Pipini Regis erant, aut venientes aut electos nuncios mittentes, cum toto cordis tripudio S. Bonifacio applaudebant, quod à Domino tales adiutores & cooperatores accepisset, quorum in dubiis rebus sufficiens cõsiliu, & in quorum orationib<sup>9</sup> tempore necessitatis certissimum inueniret auxilium. Creuit itaq; Ecclesia Christi per verbu & per labores S. Bonifacii sociorumque eius, & credentium in Domino fides augebatur, & abolito idololatriæ ritu, in consecrandis Ecclesiis, in prædicando verbum Domini, in baptizandis gentibus, in procurandis infirmis & pauperibus Ecclesiasticus ordo per omnem Alamanniam instituebatur.

Fuerunt autem illis temporibus in regno Pipini Regis duo Principes, scilicet Odilo & Swikerus Comes, qui vterque ad sanctu Bonifacium venientes orationibus eius se commendauerunt, & prædia sua cum mancipiis ad seruiendum Deo viuenti deuotissimè ei obtulerunt. Sed beatissimus Præsul considerans, quia res Eccle-

Ecclesiæ vota sint fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, ex allodiis Odili Ducis Frisingensem \* instituit Episcopatum, & ex prædiis Swikeri Comitis Eystettensem fundauit & firmavit, fratrem & discipulum suum S. Corbinianum Frisingensibus; S. Willibaldum verò Deo dignum Episcopum Eystettensibus dedit; hoc instituens, vt de rebus Ecclesiasticis pauperes alerentur, infirmi recrearentur, captiui Christiani, prout facultas suppeteret, redimerentur. Quod factum ita omnibus Christianis placuit, vt in his institutionibus incitati & accensi, per manus S. Bonifacij plurimi Deo sua offerrent, & ad seruiendum Deo altissimo multum per omnem modum Ecclesias Christi ditarent.

\* antea in situ  
tum reformauit,  
& locupletauit.

Cœpit autem sanctus Præsul Eistettensem solitudinem excolere, nemus succidere, succisum eradicare, & super ripam fluminis, quod *Almule* vocatur, monasterium fabricare; & regularis vitæ, rationabilisq; obsequij clericos illuc congregare, & incircumcisus corde verbum vitæ euangelizare, & in omni Pontificatus officio fidelem dispensatorem, & bonum seruum Dei se ostendere. Vnde omnes comprouinciales, diuites & pauperes, tanta familiaritatis dulcedine sibi coniunxerat, vt de omnibus finibus regionis illius ad eum confugerent, & ad saluandas animas suas consilium & auxilium ab eo expeterent. Sicque factum est, vt bonitatis eius fama crescente, S. Bonifacio, cunctisque in Moguntina Metropoli manentibus acceptissimus fieret, & in consiliis & in iudiciis, in consecrandis quoque Ecclesiis, & in aliis charismatum donis primum post Episcopum locum obtineret; concessumque est ei, cum priuilegij attestatione, vt in his, & in aliis Deo digna gerendis, ipse omnesq; successores sui Eistettensis Ecclesiæ Pontifices, cum necessitas, aut tempus exigeret, specialiter præ aliis vicem Archiepiscopi gererent.

Verè fratres isti, scilicet S. Willibaldus & Wunebaldus, duæ sunt oliuæ, & duo sunt candelabra lucentia ante Dominum: quia sicut per S. Willibaldum illuminata est Bavaria, ita omnis cæcitas incredulitatis per S. Wunebaldum fugata est à Turingia. Non facile discerni poterat, quis eorum humilior, quis in agricultura Dei studiosior, & quis in obseruatione mandatorum Dei videretur esse præpotentior: sed cum vnum videres, alterum te nouisse & vidisse putares. Et quamuis duo essent in corpore, vna tamen fides & vnus spiritus deuotionis regnabat in vtroque.

Deni-



Denique S. Wunebaldus diuturnitate multi laboris lassatus, & frequentia orationum & vigiliarum debilitatus, timuit fructum laborum suorum vanæ laudis gloria euanescere, & lampadē suam, veniente sponso, infatuato oleo tenebrescere, ideoque delicias & lautiores cibos, copiamque vini, quæ circa Rhenum superabundant, & frequentiam populorum, firmiter in animo suo disposuit subterfugere. Ecclesiis itaque, quas regendas susceperat, bene dispositis, & accepta licentia ab Archiepiscopo, secretum solitudinis petiuit, & ad partes illas, quæ Suauelden nuncupantur accessit. Et cum diu hac & illac circumcurfando, locum suo desiderio complacentem quæreret, tandem diuina prouidentia ita disponente, inter densitates sylvarum, inter conuallia montium, solitudinem multitudine fontium, & qualitate suæ magnitudinis veloci impetu decurrentium, exiguam, & monasticæ habitationi congruam inuenit. Cuius loci situm, vir beatus diligenter considerans, ex toto corde exhilaratus est, & benedicens Deo, soloque prostratus cum propheta exclamauit; *hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegeram.* Erat autem in eodem loco paruula planities instar agri modici, quem quidam incolarum suo iure vendicabat, & sicut iniqui solent persecutionem iustis inferre, viro Dei, vt de loco recederet, vim faciebat. Sed confessor Christi illatas molestias patienter sufferens, ad fratrem suum Eistettensem Episcopum perrexit, & quàm aptum suo desiderio locum inuenisset, & quas iniurias ab eo, qui eundem locellum sibi vsurpabat, pertulisset, indicauit. Pius verò Præsul fraterno desiderio congaudens, & vexationi eius ex intimis visceribus compatiens, voto fratris adiutorium impendit, & agellum ab eo, qui eum sibi mancipabat, pro beneplacito illius, & iure gentium, ne postea irritari potuisset, firmissimo pacto traditionem agelli stabiliiuit. Quem locum vir Deo plenus diligentissimè incoluit, & in eo oratorium cum mansuiculis extruxit, & vitam sanctorum Patrum imitatus ad seruiendū Deo religiosas personas, & in obseruatione mandatorum Dei probatas collegit, & cœnobialem vitam celebrari, & regulam S. Benedicti obseruari inibi constituit, & loco nomen *Heidenheim* vsque in hodiernum diem permansit. Assumpsit etiam sororem suam S. Walpurgam virginem Deo dicatam, quæ cum virginibus Christo desponsatis, sub imperio & eruditione S. Wunebaldi ex consilio sancti Bonifacij Archiepiscopi, & S. Willibaldi Eistettenensis Episcopi,

seipias

seipsas hostiam immaculatam Deo viuenti, sub districtione regularis disciplinæ iugiter immolauerunt.

Creuit igitur locus iste per merita S. Wunibaldi, & S. Walpurgæ virginis, & sicut in suis orationibus & diuino obsequio Sanctorum est adornatus, ita breui tempore in exterioribus fidelium oblationibus est amplificatus. Omnes qui spiritali ædificationi per verbum S. Wunibaldi proficiebant, de prædiis, de mancipiis, de rebus mobilibus, de auro & argento, de gemmis, de auro textis vestibus, per manus S. Wunibaldi oblationes Deo offerebant. Cùm autem venerabilis Abbas & cōfessor Christi videret fines prædiorum suorum dilatari, & in omni ornamento diuitiis secularibus res Ecclesiæ augeri, veritus extollentiam oculorum ex superfluitate diuitiarum generari, partem Ecclesiasticarum rerum in vsu pauperum distribuit, & quædam ex ipsis prædiis Ecclesiæ cellis adiacentibus, adhuc mendicantibus \* larga manu tradidit. Attendebat enim Prophetam orantem & dicentem. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* ideoq; quidquid Heidenheimensis cella tempore S. Wunibaldi proprium habebat, tempore necessitatis, cum nihil habentibus commune habebat.

\* *Videtur deesse, laborantibus. Psal. 118.*

Tradidit autem Eiwangensi Cellæ, quæ tunc temporis pauper & modica in diuitis erat, quædam prædia satis bona & famosa, quorum vnum Kazwang vocatur, & alterum nomē habet Gunzenhausen. Similiter etiam eodem tempore, villam, quæ Alheim vocatur, Solæ Confessori hilaris dator contradidit, & in defectum rerum necessitatarum pro posse suo largum auxiliatorem omnibus opem suam quærētib; semper se exhibuit. Sub ipso & per ipsum vigeat religio monachorum, ipso exhortante, & S. Walpurga adoperante, sanctitas & castitas floruit virginum. Fuitq; illo tempore Heidenheimensis Ecclesia \* asyle & portus omnium laborantium, nec fuit, qui in tribulationibus suis nō inueniret ibi certum refugium per merita & orationes Sanctorum ibidem Deo ministrantium. Quamobrem homines circumiacentis regionis, cellam prædicti confessoris muro cinxerunt, & infra ambitum muri, annuente B. Wunibaldo locum sepulchri sibi elegerunt.

\* *asylum*

Similiter etiam confessor Christi Willibaldus omnibus subiectis suis gratissimus extitit, & cum Martha in aciuâ vitâ studiofissimè desudauit, & cum Maria contemplatiua vita Domino iugiter adhæsit. Cùm interim S. Wunibaldus venerabilis Abbas &

Confes-

Confessor Christi, graui infirmitate correptus cursum vitæ consummauit, & de huius peregrinationis exilio ad cœlestem patriam, & de transitorio labore, quinta decima Kalendarum Ianuarij in cœlestem requiem feliciter introiuit. Cuius corpus S. Willibaldus frater eius cum multitudine virorum & mulierû ad exequias Sancti viri concurrentium, cum deuotione Clericorum & orationibus Monachorum, sanctarumq; virginum, in Oratorio, quod venerabilis pater Deo fabricauerat, honorificè sepeliuit. Quod idem Oratorium sanctus Præsul ob honorem Dei, & dilectionem fratris postea ampliauit, & adornauit. Flebāt autem omnes, qui tunc aderant, quod tanti patris corporali præsentia orbati essent; gaudebant verò, quod ad cœlestem iudicem tam Deo placitum intercessorem præmississent. Enimverò, quia se hostiam sanctam & immaculatam, dum in hac vita erat, rationabiliter viuendo, & membra sua mortificando Deo exhibuerat, manifestissimis signis Deus ostendit, quid mercedis, quid dignitatis inter sanctos Dei, pro labore suo in cœlis recepit.

Nam cum quidam ex discipulis eius ad tumbam illius sepe clam venirent, vt deuotissimas orationes pro requie Confessoris Christi cum fletu ad Dominum effunderent, ineffabilem dulcissimi odoris suauitatem senserunt, & compulsionem campanarum nulla humana administratione adhibita audierunt, & luminaria extincta absque omni humano adminiculo crebrò accendi viderunt.

Præterea quedā de Parentela eius, quæ sanctitatis eius magnitudinem etiam adhuc in carne viuientis pernouerat, cum paralyti prævalente compages membrorum suorum arefcere & dissolui sentiret, ad auxilium pretiosissimi Confessoris confugit, & ante sepulchrum eius procumbens, cum lachrimis S. Wunebaldum exorauit, vt per eius interuentum IESVS Christus ei propitiaretur, quatenus, ipso adiuuante, & Domino largiente, pristinx sanitati restitueretur. Quæ mox mirum in modum clementer est exaudita, & cum omni integritate pristinx sanitati restituta. Vnde & beata illa mulier pro gratiarum actione sacrum velamen in Heidenheimensi cella suscepit, & in sancta conuersatione temporalem vitam transcurrens, transitorium cursum feliciter in Domino consummauit.

Nec hoc silentio prætereundum est, quod quidam civis adiacen-

iacentis vici famulam suam ad molendinum prædicti monasterij transmisit, vt frumentum suum fideliter moleret, & farinam cum certa mensura domum reportaret. At illa cum esurire cœpisset, fragilitate sua deuicta, & diabolica suggestione decepta, de farina Domini sui furabatur, & tortellam inde, quam comederet, sibi confecit. Quam cum comedisset, intellexit, peractam fraudem, Dominum suum latere non posse, & intra se angustiata magis magisque Dominum suum, si in furto eam deprehenderet, cœpit timere. Quam obrem de farina Heidenheimensium monachorum, quæ tunc temporis ibi aderat, furata mensuram Domini sui subtractam compleuit, & nihil in hoc facto verita, callidum & sanum consilium se inuenisse putauit. Sed Confessor Christi Wunebaldus virtutem suæ potentia, quam à Deo consecutus erat, ostendit, & fraudem, quam pauperula illa exercuerat, detexit, & quia in omnibus temporibus custos & defensor Monachorum sibi famulantium existeret, manifestissimo signo cōprobauit. Etenim cum prædicta ancilla frumentum Domini sui molæ infunderet, licet superior lapis sua velocitate circumferretur, nihil tamen farinae vel vix aliquid egrediebatur, ita vt prædicta mulier in admirabili signo furtum suum deprehensum esse cognosceret. Vnde ex toto corde ingemiscens, & cum lachrimis & precibus ad patrocinium S. Wunebaldi confugiens, ex intimo cordis sui precabatur, vt reatum commissi furti sibi indulgeret, & ad ostensionem suæ misericordiae solitum officium complere molendino præciperet. Cuius preces pius confessor clementer exaudiens reatum dimisit, & ad manifestationem indulgentia egredi farinam, sicut prius solebat, de molâ præcepit. Quæ res ancillâ aliis, & qui cum illa aderant, referentibus in tanta admiratione est habita, vt non solum homines, qui illius temporis erant, signum istud cognouerint; verum etiam vsque ad memoriam nostram scriptis mandatum perdurauerit.

Hoc quoque posteritati referendum operæ pretium esse duximus, quod S. Walpurga referente, post subleuationem corporis S. Wunebaldi veracissimè factum esse cognouimus.

Eodem namque tempore, quo B. Willibaldus corpus germani sui de loco, in quo humatum erat, in cryptam, in qua nunc clausum tenetur, transtulerat, venit quædam mulier paralytica, & in toto corpore debilitata, & suffragia pretiosi confessoris implorans,

omnibus, qui aderant, cernentibus ex integro illico sanitati restituta est; ita vt nullum vestigium infirmitatis in illa remaneret, & omnes in laudem & gloriam illius, qui mirabilis in sanctis suis prædicatur, vnisona voce clamauerunt.

Contigit etiam in illis diebus, vt vnus in scelere quodam deprehensus, & manibus durissimis loris ad tergum religatis, per viam, quæ transitum facit per monasterium S. Wunibaldi, ad mortem duceretur. Qui cum Oratorium sancti Wunibaldi intuere- tur, comites itineris sui flebiliter exorauit, vt eorum permissione Ecclesiam prædicti confessoris ei ingredi liceret, quatenus ante mortem, qua plectendus erat, in salutem animæ suæ, & in adiutorium angustiarum suarum, tam pretiosum confessorem Christi precibus & fletibus suis inclinaret. Qui petitionibus eius, Deo ita ordinante, consenserunt, & Ecclesiam cum captiuo illo introeun- tes, ipsi quoque pro necessitatibus suis, diuinum & S. Wunibaldi auxilium implorauerunt. Captiuo itaque lacrimas cum precibus effundente, per interuentum & merita S. Wunibaldi omnipotens Deus virtutem & misericordiam suam omnibus astantibus ostendit, & ligaturas, & firmissimos nexus captiuo sine actu manuum dissoluit, & quam prope sit Deus omnibus inuocantibus eum in veritate, in captiuo illo euidentissimè demonstrauit. Cumque illi, qui eum ceperant, quæ facta sunt vidissent, glorificantes & benedicentes omnipotentiam Dei, signum, quod per merita S. Wunibaldi factum fuerat, vbique diuulgauerunt, & eum, qui punien- dus erat, illæsum abire permiserunt.

Hæc pauca è plurimis signis, quæ per merita sancti Confessoris Wunibaldi facta sunt ex scriptis S. Walpurgæ Virginis, germanæ sororis eius excerpimus, vt de his cognoscatur, qualis & quantus in conspectu Dei sit in cælis, cuius dono & cooperatione tot virtutes & miracula modo crebrescunt in terris.

Denique post mortem fratris sui sanctæ & venerabilis virgo Walpurga gubernacula, & regimen regularis disciplinæ in cella Heidenheimensi vsque dum vixit, tenuit, & seipsam in formam & exemplum bene viuendi ostendens omnem excessum strenuè, & vt ita dicam, viriliter exercuit. Tantæ enim fuit, cum tempus & res exposcebat, grauitatis, & tantæ suo tempore pietatis & mansuetudinis, & omni tempore in omni conuersatione tantæ extitit sanctitatis, vt ab omnibus meritò veneraretur vt Domina, & à cunctis  
dili-

diligeretur vt mater amantissima. Vt igitur fidem verbis nostris a-  
struamus, aliqua de signis, quæ Dominus, propter ipsam, & per ip-  
sam etiam dum adhuc in carne viueret, operatus est, quæ in au-  
tentis libris scripta inuenimus, in medium adducere volumus.

Cùm post discessum fratris sui S. Wunibaldi gubernacula re-  
gularis in Heidenheimensi Ecclesia teneret, accidit, vt quidam Ec-  
clesiasticus nomine Gomeradus, qui luminibus Ecclesiæ præerat,  
conuentui tempore cœnæ lumen subtraheret, & respectum Dei  
non habens, S. Walpurgam grauitè in hac re offenderet. Nam vi-  
cem sororum suarũ dolens, & iniuriam suam patienter sufferens,  
incoenata ad orationum consolationem se contulit, & ei, qui in-  
deficiens & verum lumen est, iniurias suas, & defectum sororum  
suarum commisit. Mox mirum in modum lux cœlitus demissa, in  
modum fulguris coruscantis, omnem locum in quo S. Walpur-  
gis, & sorores eius erant repleuit, & vsq; ad ortum solis, ab eis non  
recessit. Qua in re multitudo & magnitudo virtutum S. Walpur-  
gæ clare enituit, & omnium corda, qui hoc signum viderant, vel  
audierant ad obediendum S. Walpurgæ Dominus vehementer ac-  
cendit.

Hoc quoq; scriptum in veritate comperimus, quod quidam  
præpotens \* tyrannus, iuxta cellam Heidenheimensem, in prædio \* Dynasti  
suo habitationem habuerat, qui propter infirmitatem filix suæ,  
quam vnicam dilexit, intolerabili mœrore & dolore laborauit.  
Cuius anxietatem & tristitiam cum S. Walpurgis virgo compe-  
risset, signo crucis, & sanctarum orationum virtute munita, ad  
hospitium prædicti tyranni nihil metuens, & in misericordia Dei  
certam fiduciam habens, vespertino tempore, tanquam peregrina  
esset, peruenit, & ad ostia domus pulsando, hospitalitatis gratiam  
& ingressum domus sibi præstari postulauit. Quam pater familias  
cùm pulsantem & deprecantem audisset, veritus ne canum rapa-  
citas, quorum magna multitudo apud ipsum erat, eam discerpe-  
ret, vt à canum morsibus defensam pacificè eam introducerent.  
Cui S. Walpurgis: non verearis inquit quod me Walpurgam an-  
cillam Christi canes tui possunt lædere, quia sub custodia Christi  
constitutæ nulla aduersitas, nullom periculum mihi poterit præ-  
ualere. Tunc pater familias audito nomine Walpurgæ de sede sua  
prosiluit, & miratus tam nobilis & tam sanctæ Virginis aduentum,  
studiosissimè totam domum emundauit, & omnibus, quæ oculos

sanctitatis eius offendere possent deterfis, benignissimè eam in domum suam recepit, & omne humanitatis & deuotionis obsequium ei exhibuit. Videns itaq; S. Walpurga, patrem & matrem, & omnem familiam circa præmortuam, & iam agonizantem puellam, & iam in supremo vitæ articulo constitutam esse, turbatos intrinsecus, pia compassione attracta petiit, vt intra cubiculum moribundæ puellæ lectus sibi sterneretur, vt, omnibus exclusis, nocturna quiete sola cum sola puella frueretur. Cuius petitionem omnes admirantes, eò quòd puella esset desperata, & omnia, quæ ad exequias erant necessaria, fuissent præparata, tamen de S. Walpurgæ sanctitate præsumentes, omnes foras exierunt, & secundum postulationem eius solam cum sola nocte illa reliquerunt. At virgo Christi ostiis clausis totam illam noctem in somnem ducebat, & genibus flexis, lacrimis & orationibus sponsum suum largitorem omnium bonorum suppliciter exorabat, vt in virtute potentæ suæ, & in multitudine misericordiæ suæ puellam pristinae sanitati restitueret, & non solum parentes puellæ, sed & omnes Sualueldenses in fide Catholica adhuc rudes, hoc signo ad agnitionem & amorem sui nominis incitaret. Cuius precibus miserator & misericors Dominus aures suæ pietatis benignissimè accommodauit, & ex integro desperatam puellam incolumitati restituit. Cum hæc virtus Altissimi S. Walpurga orante, intra cubiculum ostenderetur, pater & mater puellæ cum vniuersa familia domus, circa fodendum sepulchrum, & circa paraturas, quæ defunctis exhiberi solent, hac & illac discurrentes, lamentabili dolore cruciabantur. Cùm interim beata virgo Christi Walpurgis, reueratis ostiis, parentes puellæ vocauit, & puellam adeo sanatam, vt nullum signum ægritudinis haberet, cum magno gaudio & exultatione cordis eis repræsentauit. Parètes verò puellæ virtutem Dei, & sanctitatè S. Walpurgis in repentina sanitate filia cognoscentes, cum magno tripudio cordis gratiarum actiones Deo retulerunt, & pedibus sanctæ Virginis prouoluti ingèria ei dona obtulerunt. Quæ illa tanquam latum pro nihilo ducens, exhortata est eos, vt Deo fideliter adhærerent, & nihil seculare dilectioni Dei præponerent.

Posthæc valefaciens eis occultè ad Heidenheim rediit, & post operationem huius signi in spiritu humilitatis maiore afflictione corpus suum maceravit. Præterea quomodo pater eius Richardus,  
Rex

Rex Anglorum, & fratres eius, sanctus scilicet Willibaldus & Wunebaldus, Regnum & patriam pro Deo reliquerunt, quosue labores pro diuina recompensatione in huius vitæ peregrinatione sustinuerunt. quomodo in vinea Dei, domino cooperante & incrementum præstante, fructificauerunt; luculentissimè conscripsit. De cuius scriptis ego peccator & prædictæ Heidenheimensis cellæ abiectus subminister, quasi delato ad me amœno prato, quosdam paucos flores decerpsi, & tanquam epilogum faciens; quam magni confessores isti in conspectu Dei habeantur, & quod à prima fundatione monasticus ordo in prædicta cella fuerit institutus auctoritate S. Walpurgæ: Defuncta autem sancta Walpurga, & iuxta S. Wunebaldum sepulta, fratre quoque eius S. Willibaldo Episcopo mortuo, qua auctoritate, vel qua necessitate monasticus ordo exclusus fuerit, & canonicorum secularium ordo in eandem cellam subintroierit, certum non habemus, præsertim cum nec priuilegia, nec viua testimonia propter antiquitatem temporum inde inueniamus.

Tempore enim \*Gregorij Papæ, qui tertius Apostolicæ sedi præsidebat, & Pipini Alamannorum Regis, & S. Bonifacij Martyris, fundata fuit prænominata cella, & à prima fundatione à monachis inhabitata; sed post mortem sanctorum Willibaldi, Wunibaldi & Walpurgis à secularibus canonicis possessa, & omnibus antiquitatis priuilegiis abolitis, mira dispensatione Dei, pastoralis virga S. Wunibaldi, argento circumtecta, in testimonium primæ institutionis, in sinu altaris vsque in hodiernum diem est reserua-  
 ta. Soleat enim homines infirmi circumiacentis regionis, ad tum-  
 bam prædicti confessoris venire, dum ex hac virga loca infirmitatis tanguntur, per merita Christi confessoris, & virtute eius, qui mirabilis in sanctis suis est, plurimi eorum sanantur. Sed & regula S. Benedicti à Cassino monte deportata, & alij libri Ecclesiasticæ ædificationi necessarij, quos pius Confessor in asino suo ad Heidenheimensem cellam aduexerat, licet propter vetustatem inutiles, tamen propter reuerentiam prædicti patris vsque adhuc apud nos habentur.

\* Rectius, Zachariæ Papæ.

Haftenus S. Walpurgæ auctoritate velut quoddam excerptum, de vita fratrum eius, & de institutionibus locorum, quibus præsidebant, ex scriptis eiusdem collegimus; nunc quomodo aut per quos monasticus ordo in prædicta cella reformatus sit, sicut vidi:



vidimus & audiuius, veraciter in eo, qui veritas est, referemus.

Eo tempore, quo Eugenius successor Lucij Papatum tenebat, & secundus Cunradus, Lothario Imperatore mortuo, in regnum succedebat, quidam Gebhardus generis & morum nobilitate præclarus, & totius religionis obseruantia probatus, Eystetensem Episcopatum regebat, qui sicut in omnibus zelum Dei habuit, ita defectum Heidenheimensis cellæ miseratus, quomodo in pristina religionis statum eam reduceret, cum sapientioribus Episcopatus sui, & cum religiosis sanctæque conuersationis viris consilium habuit. Qui cum non inueniret certas rationes, quibus communis vita in singularem proprietatem & secularem voluptatem esset transmutata, & quomodo cella monachorum, & ceterum mortuorum, facta essent domus laicorum, carnalibus desiderijs inibi seruientium, dolendo vicem sancti Wunibaldi gemebant, & zelum Episcopi, quem pro domo Dei habebat, benedicentes, eum per omnia laudabant. Exhilaratus itaque Episcopus, ex vnanimi consensu illorum, quos in consilium suum assumpserat, magis ac magis animatus, prædictæ cellæ canonicos singillatim conuenit & exhortationibus suis, & rerum compensationibus ad hoc inclinauit, vt præbendas suas pro salute animarum suarum, & pro ueneratione S. Wunibaldi dimitterent, & monastico Ordini, qui à prima fundatione ibi institutus erat, locum darent.

Omnibus ergo canonicis vsque ad vnum Episcopo consentientibus, & præbendam pro Deo & pro denominata recompensatione exstucantibus, contigit, vt Eugenius Papa ad Franciam accederet, & conuocatis vniuersarum prouinciarum Episcopis & Abbatibus, in Rhemensis Ecclesia famosissimam synodum celebraret. Quo eum præfatus Episcopus ex uocatione Domini Papæ venisset, omnia, quæ circa Heidenheimensem cellam facta erant, & quomodo canonici præbendas resignassent, exposuit. Postquam venerabilis Papa seriem & veritatem præfatæ causæ, Episcopo edocente, cognouit, communicato cum Cardinalibus & aliis religiosi viris, qui ad Synodum illam conuenerant, consilio, præcipit auctoritate Apostolica Episcopo, vt in pristinum monasticæ religionis statum\* sine dilatione inde eliminaret.

\*locus mutilus.

Auditis his, Eugenio Papa, & omnibus, qui illuc conuenerant,

rant;

rant, finita synodo ad sua remeantibus, Episcopus quoq; Eystet-  
rensis in sua repedauit, & quendam \* Pennonem virum bonum, <sup>\* Pennonem.</sup>  
& in omne opus Dei paratum, eo quod illo tempore præpositu-  
ram Heidenheimensem in sua procuratione haberet, ad se voca-  
uit, vt & designatas præbendas diligenter colligeret, & in vsus Ec-  
clesiæ studiosè redigeret, perintimè rogauit, & quod ei Papa de  
pristinæ institutionis reformatione, & secularis in habitationis e-  
liminatione præceperit, indicauit. At ille de pristina religionis re-  
formatione mandatum Domini Papæ audiens, eò quod zelum  
Dei haberet, gauisus est valdè, & secundum edictum Episcopi, res  
Ecclesiæ diligenter collegit, & partem collectæ pecuniæ in ædifi-  
catione turrium, prædicti Episcopi consilio vsus, expendit, & par-  
tem ad reædificationem dirutatum officinarum referuauit.

Sed antiquus hostis fidelium actibus inuidens, solita malitiæ  
fuz calliditate bonum propositum eorum conuertit in malum:  
nam sicut oportuit prædictus Episcopus Gebhardus naturæ con-  
cessit, & viam vniuersæ carnis ingressus, mandatum Domini im-  
perfectum dereliquit. Factum est autem, vt substituendo alio E-  
piscopo, graue schisma in Eistetteni Ecclesia oriretur, ita vt qui-  
dam eorum, reprobato præposito, quendam Burchardum ei præ-  
põnerent. Quod schisma diu durauit. Sed Reges Cunrado, obse-  
quito Gerhardi Comitis, in partem Burchardi Episcopi inclinato,  
nulla synodali discussione habita; sed regia potentia adhibita, præ-  
dictus Burchardus, homo bonus & simplex, sed ad laborem Epi-  
scopalis officij per omnia debilis, in cathedra Pontificali vsque ad  
audientiã Eugenij Papæ permansit. Qui vt in Curiam Regis con-  
suetudinariam iustitiam persolueret, & consecrationis suæ tem-  
pore necessarios sumptus haberet, pecuniam in Heidenheimensi  
Ecclesia congregatam abstulit, quam se postea redditurum per fi-  
dei iussores spondit, quod tamen minimè persoluit, quin immo  
præbendas expeditas, contra edictum Domini Papæ impediuit, &  
pueros indoctos, & infra annos discretionis positos, Apostolici  
decreti nullum respectum habens, temerario \* vsu in prædictam \* ausu.  
Ecclesiam induxit.

Fuerunt autem eodem tempore quidam fratres, qui zelo Dei  
inducti, vicem S. Wunibaldi dolerent, & contemptum Eugenij  
Papæ animaduertent, & se murum pro domo Domini contra-  
dicendo his, quæ ab Episcopo Burchardo irrationabiliter fiebant,

\* *Ilfung.*

opponerent. Inter quos erat quidam \* *Ilfungus*, homo prudens & litteratus, & diuitiarum & parentum magnitudinæ, & in morum gravitate, & in largitatis honestate in omni Heidenheimensi cella famosus: huic temeritas & excessus Episcopi Burchardi displicuit, & causam Dei & iniuriam Apostolici tuendâ viriliter & fideliter assumpsit. Etenim cum adeo corpulentus esset, vt forti caballo intolerabilis ad ferendum videretur, non veritus corporis sui magnitudinem, nec itinerum difficultatē, omnibus in faciem audacter restitit, & ad audientiam Eugenij Papæ, insolentias & præsumptiones, quas fieri vidit, pertulit. Contra quem Heidenheimenses canonicum quendam fratrem suum, scilicet magistrum scholarum, in scripturis bene fundatum, & in facundia & honestate morum apud omnes commendatum, ad Romanam curiam, datis in via necessariis, direxerunt, vt in præsentia Eugenij Papæ assertiones prædicti *Ilfungi* rescinderet, & causam eorum sua sapientia defenderet. Cum igitur vterque eorum Apostolico conspectui se repræsentalset, hinc atque illinc vtriusque causis discussis, rei veritas, & labor *Ilfungi* sacerdotis præponderauit, & magister *Odelricus*, licet multum pro parte fratrum suorum laborauerit, Deo ita ordinante, parum profecit. Communicato itaq; cum Cardinalibus consilio, Eugenius Papa dictum *Ilfungum* cum litteris ad Babbergensem Episcopum transmisit, eiq; sub interminatione officij sui præcepit, vt inuasores præbendarum, & præuicarios Apostolici decreti ad cooperationem Eistettensis Episcopi, de prædicta cella euiceret, & in ea pristinum monasticæ religionis ordinem reformaret. Hoc est autem exemplar illarum litterarum, quas Eugenius Papa \* *Babbergensi* Episcopo misit per *Ilfungum*.

\* *Babbergensi.**Epistola Eugenij  
Papa.*

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Eberhardo Babbergensi Episcopo, & dilecto filio, Adam Abbati de Ebrach salutem & Apostolicam Benedictionem. Bonæ memoriæ Gebhardus Eistettensis Episcopus, amore sacre religionis accensus, in Ecclesia de Heidenheim Deo acceptum dolens non exhiberi seruitium, summotis inde pacificè clericis secularibus, religiosos fratres statuit ordinare, ita tamē vt clerici seculares ibidem eo tempore commorantes, habita exinde beneficia in vita sua tenerent; eis verò decedentibus in vsus monachorum, sine cuiusquam contradictione integrè deuenirent.

Nunc

Nunc autem, quod sine graui mœrore non dicimus, quoniam eo his temporalibus rebus adempto, & ad æternitatem Domino auctore vocato, nondum fuerant regulares fratres iuxta propositum eius adducti, Moguntinus Archiepiscopus & Eistettensis Episcopus, clericos seculares ausu temerario reduxerunt. Quod factum, quanta esset animaduersione plectendum, si iustitiæ rigorem exercere vellemus, caritas vestra liquidò satis & euidenter agnoscit. Quoniam ergo ad nostri spectat Pontificatus officium, quæ malè facta sunt in irritum reuocare, & de vestra prudentia valdè confidimus, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus super hoc vigilantissimo studio intendatis; & expulsis inde secularibus, ibi acceptam Deo religionem instituere, iuxta votum præscripti Episcopi, studeatis. Ita tamen, vt illis, quibus ipse beneficia in vita sua reliquit, quamuis essent eis de iustitiæ rigore priuandi, quia tamen erga omnes oportet benignitatis mansuetudinem exerceri, à nobis ea sibi misericorditer sentiant indulgeri. Cæteri verò, quos post institutionem eiusdem Episcopi constat illuc fuisse intrusos, sine cuiusquam beneficij perceptione, velut inuasores exinde propellant. Si autem vobis super hoc obedire contempserint, in personas eorum excommunicationis, in locum verò auctoritate nostra interdicti sententiam promulgate. Præterea latorem præsentium Illungum, qui super hoc debitam attentionem adhibuit, caritati vestræ attentius commendamus, rogantes vt suis opportunitatibus nostrum se apud vos præsidium inuenire cognoscat, & taliter defensionem vestram, pro parte nostra obtineat, vt nec eum oporteat pij laboris & studij pœnitere, nec alios, qui cognouerunt, à voto simili debeat prauorum timor & violentia cohibere.

Porro Illungus litteras signatas cū mandatis Babergensi Episcopo adportauit, quas ille cum reuerentia suscipiens, vocato Nurenberch Eystettensi Episcopo, omnia, quæ Papa in literis suis præcepit, deuotissimè complenit. Aderat etiam tunc temporis Heidenheimenses Canonici, & diuersorum cœnobiolorum viri religiosi, qui omnes post multas disputationum diuersitates, vnanimi voto in vnum consenserunt, vt

*Hic est finis Epistolæ, sequuntur verba Adelberti.*

ordo monasticæ religionis, qui à prima fundatione, à B. Wunbaldo, Confessore Christi, in Heidenheimē, si cella fuerat institutus, secundum præceptum Domini Papæ, denuo reformaretur, præsertim cum nulla auctoritas, nulla necessitas, quare monachi ~~ex~~ fuerint, inueniretur.

*pro Expulsi*

Episcopus verò Babbergenfis cum aliis & præaliis, canonum rationibus & Pontificum decretis, eò quòd in diuinitate, & omni liberalium artium subtilitate peritissimus esset, innitens, studiosissimè elaborauit, vt præfata cella talis persona præficeretur, quæ in conuersatione monasticæ religionis esset probata, & in dispositione secularis dispensationis esset exercitata. Quod consilium omnibus, qui aderant, miro modo bene placuit, factumque est, vt inuocato sancti Spiritus adiutorio, Michelfeldensem Abbatem, Apostolica auctoritate & præcepto, hanc crucem Domini & iugum istius regminis portare compellerent. Fuit autem ille Abbas à multo tempore notus omnibus, quia in maiori choro Babbergenfis Ecclesiæ nutritus, & canonicus, & in claustrali administratione probatus, magnam in conspectu omnium Babbergenfium gratiam inuenerat, & pro diuina recompensatione secularibus pompis & diuitiis abrenuncians, in cella Dominae Paulinae Monachum se fecerat, vbi postea requisitus & communi supplicatione Babbergenfium extractus, vnanimi comprouincialium Abbatum electione in Michelfeldensem Abbatiam tempore necessitatis translatus est. Hanc humilem personam, & in propriis oculis abiectione nouo labori & oneri supposuerunt, & reluctantem, & cum multis lacrimis reclamantem, Eystettenfi Episcopo, & Domino Adal-

Adalberto de Truchendingen Catholico & religioso laico, sub testimonio Christi, & Ecclesiæ defendendum commiserunt.

Cum igitur prædictus Abbas cum conductu Eystettensis Episcopi & aduocati Adelberti, ad cellam sibi peruenisset commissam, nihil ædificiorum, nihil rerum necessariorum inuenit, sed contradictiones & diuersas vexationes, & omnes vias spinis circumseptas reperit. Cumque se sine fructu laborare, & magis ac magis aduersantium sibi numerum augeri, eò quod nullum consilium in Eistettensi Episcopo sibi repositum esse conspiceret. Ad Babbergensem Episcopum, cui Eugenius Papa negotium istud commiserat, rediit, & contradictiones & oppressiones, quas patiebatur, lacrimabiliter ei exposuit. At ille, sicut semper visceribus misericordiæ plenus erat, paterna compassione ei condoluit, & quod negotium sibi commissum processum prosperitatis non haberet, ex toto corde ingemuit. Vocatis itaque familiaribus suis, quorum consilio in dubiis rebus uti solebat, quid super hac re faciendum esset, consuluit. Qui omnes vnanimiter consiliati sunt, ut Abbatem cum litteris commendatitiis ad Eistettensem Episcopum emitteret, eumque sub obreitu diuinæ maiestatis, & pro reuerentia Apostolicæ auctoritatis rogaret, ut forti manu Abbatem teneret, & defenderet; quod si nollet, aut non posset, ex integro, causa ad Dominum Apostolicum referretur, ut eius dispensatione prædictus Abbas ab imposito iugo absolueretur, vel eius auctoritate, quod inchoatum erat, priuilegiis firmaretur.

Misit ergo Babbergenensis Episcopus ad Eystettensem Episcopum litteras, & nihil profecit; quia Eister-

\* Eberhardum.

ensis Ecclesia aliena potentia se opprimi doluit, & proprium Antistitem \* propter imbecillitatē suam, sicut postea comprobatum est, pro nihilo reputauit. Tunc verò quot & quantas aduersitates Abbas & fratres sui pertulerint, non facillè enarrari, nec facillè credi potest. Nam parentes & familia exclusorum canonicorum, tanta ira & odio in monachos, & in eos, qui eis adhærebant, exarserunt, vt extra limen Ecclesie pedem ponere sine conductu nō auderent. Sine cessatione nunc manifestè, nunc occultè novos dolores super dolorem vulnerum eorum apposuerunt, & vt manifestius exprimamus, vna nocte, cōgregata multitudine & armata manu, quadraginta modios frumenti, qui tunc temporis magno pretio comparati erant, & carnes triginta porcorum cum vestibus fratrum, quas ibi repererunt, violenter abstulerunt, & nouem carradas vini & ceruisiæ, nullum respectum, S. Wunebaldi habentes, in terram effuderunt.

Crebrescentibus itaque malis & accrescentibus periculis doloribus, præfatus Abbas cum litteris Babbergensis Episcopi Dominum Eugenium Papam adiit, & labores, & dolores, & periculis diuersitates, quas patiebatur, ex ordine indicauit. Fuit autem istud exemplar litterarum illarum, quas Babbergen- sis Episcopus per Adelbertum Abbatem misit ad Dominum Papam Eugenium.

Beatissimo Patri & creatori suo Eugenio, sanctæ Catholicæ Ecclesie summo Pontifici, Eberhardus Babbergen- sis, diuina & Apostolica miseratione, minimum id quod est, debitam in Christo obedientiam cum oratione & seruitute deuotissima. Sicut omnem plantationem, quam non plantauit pater cœlestis, diuina sententia in Apostolica petra non patitur consistere, ita omnem illam, & solam, quam ipse plantauit, neminem ab eiusdem petra  
firmi.

firmitate finit conuellere. Vnde humilem quandam Dei & vestrae sanctitatis plantationem, auctoritate vestra in loco, qui dicitur Heidenheim, per meae paruitatis ministerium inceptam, absens licet corpore, praesens tamen semper spiritu, vobis, Pater & Domine clementissime, represento, humiliter implorans, & obsecrans pietatem vestram, vt aduersus hanc ipsam personam humilem, ea quae mentiri sibi solet, non praeualeat iniquitas. Vt enim mirabilia Dei circa locum praedictum necessaria cognitu plenius intelligatis, aliqua à plurimis nostris occupationibus compellor inferere.

Ex antiquo locus ille in religione monastica fundat<sup>9</sup>, B. Wunnebaldum, confessorem pretiosissimum, Abbatem habuisse dinoscitur, primum quidem & nouissimum, vsque ad haec felicissima Apostolatus vestri tempora. Postmodum verò barbarica tyrannide vastatus, clericis secularibus, per multam rectorum negligentiam, ad inhabitandū concessus est, vsq; ad haec vltima tempora beatae memoriae Domini Gesshardi Eistettensis Episcopi, qui diuinitus inspiratus clericos ibidem inuestitos, quietè & pacificè, singulatin omnes, vsque ad vnum, in diebus suis transtulit, & stipendia primitus habita aliis beneficiis Ecclesiasticis illis commutauit. Post decessum verò ipsius, clerici antiqua stipendia inuolantes, alios quoq; primitus ibidem non inuestitos sibi aggregantes, de bonis Ecclesiae coeperunt ad inuicem contendere.

Huiusmodi ergo lite ad nostram audientiam perlata, ego & Dominus Adam Abbas de Ebrach in mandatis accepimus à vobis, vt clericis inde remotis, auctoritate vestra pristinam loci illius religionem reformaremus; Domino autem Abbate secus agente circa negotia sibi iniuncta à Cisterciensium capitulo; ego vestram iussionem reueritus, & ab ipso Abbate Eberacensi, aliisque bonis & religiosis in idipsum commonitus, die & loco Heidenheim clericis praefixo, in praesentia eius, qui nunc est, Domini Burchardi videlicet, Eystettensis Episcopi, ipsos inde remouit, & hunc latorem praesentium ab Episcopo Eystettensi, simulq; clero ipsius expetitur, de monasterio quodam locuplete Episcopatus nostri translaturum, religiosorum plurimorum consilio, qui praesentes aderat, in Abbatem loco iam saepe praenominato concessi, cò quòd ipse, pro loco & tempore, in hoc loco maxime videretur idoneus secundum gratiam sibi concessam à Domino, in omni ordine.

prius



prius canónico, deinde monastico. Sic ergo in caminum paupertatis proiectum, & positum in signum, cui oportet, vt à multis contradicatur, iterum atq; iterum vestrae pietati commendo suppliciter deprecans, vt & fratrem, & locum sanctissimum, in quo verè complacitum est Deo habitare in eo, paternitatis vestrae privilegiis communire dignemini, quatenus & Deus honoretur & nominis vestri memoria in sempiternum ibi non deleatur.

Quem ille clementer suscipiens, & laboribus eius paternè compatiens, vt fortem athletam in certamine Dei se exhiberet, cohortatus est, sed Abbas pedibus eius prouolutus, suppliciter & lacrimabiliter rogauit, vt intolerabili iugo eum absolueret, quia sine adiutorio, & sine defendentium patrocinio, in tam periculosa & laboriosa administratione se nihil proficere conspiceret.

Ad quem Eugenius Papa; nondum frater, inquit, vsque ad sanguinem decertasti, neque utile est, vt absoluaris, sicut petisti, quia nullus coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

Confortare in Domino, & esto robustus, & viriliter age, vt tuis laboribus status antiquae religionis in loco, quem S. Wunebaldus Deo consecrauit, nostris temporibus reformetur, vbi modo, sicut audiuimus, omnis excessus castitatis & iniquitas dominatur.

Nos utiq; contra æmulos tuos scribemus, & monastici ordinis institutionem, sicut à prima inchoatione, à B. Wunebaldo, institutum est, privilegij nostri roboratione in loco illo firmabimus, & omnes fideles Christi in auxilium & in defensionem tuam, literis nostris sigillatis inuitabimus.

His verbis prædictus Abbas consolatus & confortatus, pedibus Eugenij Papæ prouoluitur, & vt locum in sua tuitione vellet habere, & vt comprovincialibus

terrae

terræ principibus defendendum vellet committere, & privilegio, sicut dixerat, vellet firmare, suppliciter exoravit. Cuius precibus Papa benignè annuens privilegium tradidit, & litteras commendatitias ad Episcopum Babbergensem, ad Comitem Gerhardum, ad Adelbertum Aduocatam de Truchendingen conscripsit, in quibus vt Heidenheimensem Cellam & Abbatem eius manu tenerent, & defenderent præcipiendo rogauit. Fuit autem istud exemplar privilegij & litterarum, quas Eugenius Papa remisit.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Adelberto Abbati monasterij S. Wunibaldi in Heidenheim, eiusque fratribus tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Ad hoc nobis à Deo pastoralis officij cura commissa est, vt beneplacentem Deo religionem laboremus statuere, & stabilitam exacta diligentia conseruare. Nec dubium, quod si seruorum Dei iustis petitionibus benignè concurrimus, nostris opportunitatibus clementem Dominum reperimus. Ea propter dilecti in Domino filij, qui ad prædictum locum pro reformanda honestatis & religionis obseruatiã vos ex mandato nostro humiliter transfulistis, vestris iustis postulationibus clemèter annuimus, & monasterium ipsum, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communitus. Inprimis siquidem statuentes, vt ordo monasticus, & qui secundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam, per vos in eodem loco noscitur reformatus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter conseruetur. Præterea quascunq; possessiones, quæcunq; bona ibidem monasterium in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Põtificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis Deo propitio adipisci poterit, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Sepulturam quoq; ipsius loci liberam esse concedimus, vt eorum, qui se illic sepeliri deliberauerint, deuotioni & extremæ voluntati,

\* forte addendum  
partis.

ti, nisi fortè excommunicati aut interdicti sint, nullus obstat; salua tamè iustitia matricis Ecclesiæ. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu sanioris, \* secundum Domini & B. Benedicti regulam prouiderint eligendum. Prohibemus autem, vt intra septa monasterij ipsius nulla secularis persona placitari, vel habitationem habere præsumat, ne in seruorum Dei secessibus, populari-  
ribus occasio præbeat conuentibus.

Dècernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfa-  
tum monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, imminuere, vel aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua sedis Apostolicæ auctoritate, & diocæsani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona huius nostræ institutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundo tertioque commoneatur, si non satisfactione congrua emendauit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri IESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iussa seruantibus sit pax Domini IESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis perecipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Ego Ymarus Tusculanus Episcopus subscripsi. Ego Gregorius Presbyter Cardinalis ad titulum Calixti subscripsi. Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ subscripsi. Ego Gwido Presbyter Cardinalis tituli Pastoris. Ego Oddo Diaconus S. Georgij ad velum aureum subscripsi. Ego Rudolphus Diaconus Cardinalis S. Angelis subscripsi. Ego Ioannes Diaconus Cardinalis sanctorum Sergij & Bachi subscripsi. Data Segniæ, per manus Bolognensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriptoris V. Idus Febr. Indicti. XV. Incarnat. Dominicæ anno M. C. LII. Pontificatus verò Domini Eugenij III. Papæ anno VII.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei Eberhardo Bab-  
bergen-

bergenſi, & Burchardo Eyſtettenſi Episcopis, ſalutem & Apoſto-  
 licam benedictionem. Benedictus Deus & pater Domini noſtri  
 Ieſu Chriſti, qui per curam & ſolicitudinem veſtram, atque iuxta  
 commonitionem & deſiderij noſtri votum, dignatus eſt in Eccle-  
 ſia Heidenheimenſi honeſtatis & Deo placitæ religionis obser-  
 uantiam reformare: & dilectum filium noſtrum Adelbertum, la-  
 torem præſentium, honeſtum ſiquidem, pro vt aſſeritis, ac bonæ  
 opinionis virum, Abbatem & prouiſorem in eodem loco ſalubri-  
 ter prouidere; vt vbi omnis enormitatis & immunditiæ malitia  
 diu, peccatis exigentibus, exitit, ibi de cætero regularis ordo &  
 innocentia ſanctitatis reſſoreat, atq; gratum Deo in odorem ſua-  
 uitatis exhibeatur obſequium.

Proinde dilectiſſimi in Chriſto fratres, & in agricultura ſum-  
 mi patrisfamilias ſolertiſſimi cooperatores, vt donum, quod in  
 prædicta Eccleſia pio ſtudio inceptum eſt, deperire non valeat, ſed  
 de bono in melius ſemper augeri, fraternitatis veſtræ ſtudio præ-  
 ſentibus litteris incitamus, & in Domino exhortantes monemus,  
 quatenus prædictum filium noſtrum Adelbertum Abbatem at-  
 tentius habeatis commendatum, & ad reedificationem ac melio-  
 rationem eiſdem Eccleſiæ, vires ei & auxilium, pro B. Petri & no-  
 ſtra reuerentia, præſtetis, atque pecuniam, quæ pro reſtauratione  
 ipſius loci collecta eſt, ſiue mutuata, in manu eius ac fratrum ſuo-  
 rum faciatis assignari. Clericos verò manifeſtè concubinarios, qui  
 habitationes ſuas in ipſo monaſterio habent, nihilominus ab eo-  
 dem loco ſtudeatis remouere.

Eugenius Episcopus ſeruus ſeruatorum Dei, dilecto filio no-  
 bili viro Gerhardo, Eyſtettenſi Comiti, ſalutem & Apoſtolicam  
 benedictionem. Ad induſtriam nobilium & Catholicorum Prin-  
 cipum ſpectare diuoſcitur, religioſas perſonas diligere, & earum  
 loca deuotionis intuitu conſouere; vt per huiusmodi ſtudiū crea-  
 tori ſuo Domino Ieſu Chriſto placere valeant, & ſalutem ſuarum  
 mereantur conſequi animarum. Ideoq; dilectum filium noſtrum  
 Adelbertum Heidenheimenſem Abbatem, ac fratres ipſius, qui  
 ex mandato noſtro ad locum ipſum ſe humiliter tranſtulerunt,  
 nobilitati tuæ attentius commendamus, per animæ tuæ ſalutem  
 rogantes, & in peccatorum tuorum remiſſionem monentes, qua-  
 tenus eos diligas & honores, atque ab infeſtationibus prauorum  
 hominum manu teneas & defendas.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Adelberto Aduocato Heidenheimensis Ecclesie salutem & Apostolicam benedictionem. Veniens ad nos dilectus filius noster Adelbertus Abbas S. Wunibaldi, de te bona nobis plurima nunciauit, quod eum ac fratres eius benignè foueas ac diligas, & ad reformandum in loco ipso religionis statum, opem sibi & consilium præbeas. Quod quia omnipotenti Deo gratum esse cognoscimus, & animæ tuæ salutis utilissimum, paterna te in Domino affectione monemus, hortamur, & in peccatorum tuorum remissionem iniungimus, quatenus, sicut benè cœpisti, prædictum filium nostrum Abbatem, iuues ac manu teneas, ac ab infestationibus quæ sibi contra iustitiam inferuntur, sicut bonus tutor, protegas & defendas.

Misit quoque literas ad Moguntinum Archiepiscopum hunc modum continentes.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Henrico Moguntino Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Quod in Ecclesiam Heidenheimensem clericos reduxisti, & nostra id petis auctoritate firmari, eo plurimum miramur atque dolemus, quo ex iniuncto tibi Pontificatus officio te vigilantius oporteret religionem plantare, fouere ac conseruare, & non eradicare, disperdere & dissipare. Bonæ memoriæ Gebhardus quondam Eiflottenfis Episcopus, sacre religionis igne succensus ideo pacificè clericos inde seculares amouit, vt acceptam Deo religionem ibi cum virtute sancti Spiritus reformaret. Quoniam verò morte præuentus tam sanctum & laudabile votum effectui mancipare non potuit, deberet fraternitas tua, vt id compleretur elaborasse, non quorumlibet suggestionibus euacuare atque infringere præsumpsisse; proinde, quia nostra interesse dinoscitur, quæ malè facta sunt in irritum reuocare: bona verò proposita, Apostolorum principis auctoritate, prouehere. ideo venerabili fratri nostro Eberhardo Babbergenfi Episcopo, & dilecto filio nostro, Adam de Ebrach dedimus in mandatis, qualiter debeant vice nostra errata corrigere, & quod laudabiliter fuit inceptum, debite prosecutioni mandare. Per præsentia itaque scripta fraternitati tuæ mandamus, quatenus eis super hoc facto nullo modo renitaris, sed si auxilium tuum super aliquo exquiserint, eis, sicut Apostolicæ sedis gratiam conseruare desideras, largiaris.

Cum

Cùm ergo Abbas priuilegium & litteras accepisset, firmatas benedictione Apostolica, ad cellam sibi cõmissam rediit; & litteras Principibus, quibus transmissæ erant, cum mandatis Eugenij Papæ representauit. Quas illi venerabiliter suscipientes, omnem diligentiam se adhibituros promiserunt. Sed quidam eorum, tanquam nullas Apostolici litteras inde accepissent, nihil cõsilij, nihil auxilij prædicto Abbati in tempore tribulationis exhibuerunt. Veruntamen Babbergenfis Episcopus, & aduocatus Adelbertus, & subaduocatus eius\* Cum: de Osthheim cum omni integritate fidei, & cum omni studio deuotionis, mandatum Eugenij Papæ amplectentes, cellam & Abbatem eius, in procuratione & in defensione sua habuerunt. & ne aduersantium multitudo, & iniquorum pars præualeret, per se, & per suos infatigabiliter elaborauerunt. Videntes autem Heidenheimenses Canonici, qui exclusi fuerant, quod Abbas priuilegium reformationis reportasset, magis ac magis in iram & indignationem conuersi sunt, & per se & parentes suos, omnes quoscunque poterant, ad odium Abbatis concitauerunt.

\* f. Conradus de Osthheim.

Eistertenses verò dolentes & indignè ferentes Babbergensem Episcopũ, aliquid potestatis, ex commissione Papæ, in Episcopatu Eistertensi exercere, parti Heidenheimensium astiterunt, & in omnibus placitis contra Abbatem, & contra decreta Papæ duram & auersam faciem semper ostenderunt. Vnde Heidenheimensium Canonorum parentes & familia innumerabilib<sup>9</sup>, & intolerabilibus tribulationibus Abbatem, & sibi adhærentes persecuti sunt, & dum eos ad nihilum redigerent, nihil pensi habuerunt.

Quod cum Babbergenſis Epiſcopus, referente Hei-  
denheimenſi Abbate, cognouiſſet, iterum atque ite-  
rum litteris & mandatis Eſtetenſem Epiſcopum com-  
monuit, vt contradicentibus Domino Papæ in ver-  
bo veritatis reſiſteret, cauſam Dei, & auctoritatem A-  
poſtolici præcepti non negligeret. Sed cum ſic nihil  
proficeret, eos, qui huius præuaricationis auctores  
erant, Apoſtolica auctoritate excommunicauit, &  
negotium à Domino Papa ſibi iniunctum conſtan-  
tiſſimè & ſtudioſiſſimè exegit.

*in manu d. A. m. 1190*  
Sed quanto magis ad perficiendum opus Dei ze-  
lo rectitudinis attendebat, tantò magis Heidenhei-  
menſes vnanimi conſpiratione, amaritudine & furo-  
re replebantur. Veruntamen vnus eorum, qui præ-  
bendas reſignauerant, ſuper afflictione & dolore, qui-  
bus Abbas & Monachi ſui afficiebantur, miſericordia  
motus, conſolationis & auxiliij manum Abbati por-  
rexit, & veræ compaſſionis affectum efficacia rerum  
hilariter oſtendit. Nam cum Abbas nihil ædificio-  
rum, nihil victualium, nihil auxiliarium, vnde agri-  
culturam excoleret, inueniſſet, domum ſuam, quam  
habebat, pro diuinæ remunerationis recompenſa-  
tione Abbati in proprietatem tradidit, & in victuali-  
bus & in iumentis inopiam eius largiter ditauit. Fuit  
autem idem Heidenheimenſis populi Sacerdos &  
Parochianus, eratque nomen eius Cunradus, qui pro-  
pter beneuolentiæ ſuæ magnitudinem, omnibus vi-  
cinis ſuis charus fuit, & acceptiſſimus. Huius ſtudium  
& effectum circa Monachos, cum Heidenheimenſes  
perſpexiſſent, vltra modum exoſum eum habuerunt,  
& nunc manifeſtè, nunc occultè, modò per ſe, modò  
per ſuos, multas moleſtias & damna ei intulerunt. At  
ille

ille diuina virtute roboratus, nulla rerum suarum amissione, vel terrore immutatus à dilectione monachorum cessauit, sed in omnibus pro posse suo fideliter fauit eis, & astitit.

Interea dum prædictus Abbas procellas periculorum magis ac magis videret excrefcere, & monasticam religionem inter seculares cohabitationes, & inter intestinas seditiones intelligeret non posse subsistere, in præsentia Episcopi & Aduocati, præsentem clero & populo, recedendi licentiam accepit, & res Ecclesiæ, quas seruandas acceperat, ex integro resignauit, & assumptis fratribus suis, cum conductu Episcopi, ad claustrum suum, vnde primitus extractus fuerat, rediit; vbi benignissimè susceptus, plusquam quatuordecim menses, monastico ordini deseruiens, in quiete mentis & corporis permansit. Interea nulla diuina in Heidenheimensi Ecclesia celebrabantur, & omnes fideles Christi, qui exterminia loci videbant, dolore intrinsecus tacti, super destitutione tam nobilis Ecclesiæ lacrimabiliter cruciabantur.

Cùm igitur Eugenius Papa obstinationem Heidenheimensium, & expulsionem Abbatis sui, qui auctoritate & præcepto suo, in locum illum translatus erat, cognouisset, Cardinalibus suis, Bernhardo scilicet Presbytero, & Gregorio Diacono, quos ad Alamaniam pro Ecclesiæ necessitate missurus erat, attentius commendauit, vt Heidenheimensem reformationem stabilirent, & expulsam Abbatem redire compellerent, & eum ad protegendum & manutenedum Babbergenfem Episcopo & Eystettensifem Præsuli, sub obtentu diuinæ maiestatis, & respectu Apostolicæ auctoritatis commendarent. Qui cum ad partes Alaman-

Alaman-



Alamannia accessissent, litteris suis expulsam Abbatem ad praesentiam suam vocauerunt, & vt ad locum commissum sibi rediret, Apostolica auctoritate praecerunt. Cumque Abbas aduersitatum suarum magnitudines, & diuersitates, & contradicentium sibi, & querentium animam suam vexationes exposuisset, illi inania potentiae suae verba iactantes, dixerunt, aut esse ei redeundum, aut perpetuo esse excommunicandum. Addiderunt quoque Eystettensem Episcopum ab Episcopatu esse remouendum, & alium forsiorem corpore & ingenio substituendum, qui pro reuerentia Domini Papae ad reformationem monastici ordinis praedictae cellae inuigilaret, & Abbatem eius fortiter & diligenter a persecutoribus suis defenderet & muniret.

Cum igitur praedicti Cardinales Eystettensem Episcopum Burchardum deposuissent, & Cunradum Episcopum Canonica electione in Moguntina metropoli facta substituissent, sicut Eugenius Papa praecerat, expulsam Abbatem cum litteris signatis, nouo electo sub auctoritate Apostolica commendaerunt, & vt forti manu eum teneret, & vt priuilegium Domini Papae de reformatione & stabilitate praefati coenobij co-scriptum in nullo violari sineret, mandando praecerunt, fuerunt autem literae hunc modum continentēs.

Bernhardus Presbyter, & Gregorius Diaconus Cardinales & legati Romanae Ecclesiae, Eystettensis Ecclesiae electo, dilectionem & salutem. Nouellam plantationem Eugenij Papae, scilicet reformationem Heidenheimensis coenobij, & Abbatem eiusdem loci attentius tuae caritati commendamus, vt forti manu eum teneas, & a prauorum hominum infestatione eum defendas, & excommunicatos illos, qui locum impediunt, nisi resipiscant a fide-  
hum

sum confortio remoueas, & priuilegium Eugenij Papæ super hac re conscriptum, in nullo debilitari, pro reuerentia Romanæ Ecclesiæ permittas, Licet enim Eugenius, vocante Domino, ex hoc seculo migrauerit, facta tamen eius, ut facta beati Petri, immutata permanent & permanebunt. Præterea fraternitatem tuam exhortamur atq; monemus, ut in vinea Domini in omnibus strenuura & diligentem operarium te exhibeas, ut tua sapientia, religio & honestas in Episcopatu tuo reformetur, quæ desidia prædecessoris tui ex maxima parte deperisse cognoscitur.

Misit quoque Babbergenfis literas suas ad Eistetensem Episcopum, quarum exemplar illud est.

Venerabili & in Christo dilecto fratri Cunrado sanctæ Eystettenfis Ecclesiæ electo Eberhardus Babbergenfis gratia Dei, si quid est, sinceræ caritatis affectum, & cum oratione obsequium. Panes propositionis cum mutarentur, non nisi calidi ponebantur, cum thure lucido superposito. Ut itaque ardoris & splendoris diuini ad sanctificandum introitum vestrum, tanquam bonus odor Christi, \* vicariam haberetis, voluit Deus, ut credimus, ordinationem loci nostri Heidenheim, tanquam vespertini sacrificij consummationem, vestris referuari temporibus. Ecce etenim nutu diuino factum, & sicut petistis, ut fieret, cum nobis manderetis, ut in his, quæ in Episcopatu Eystettenfi iniuncta nobis sunt, vestro vteremur consilio. Misso namque ad Dominos Cardinales Domino Abbate, ad hoc, ut ego & ipse à cura Heidenheim absolueremur, ita ab eis remissus est ad nos, ut necessitate obedientiæ dirigeretur vsque ad vos, & ecce vobis, eum, licet inuitum & renitentem, resignamus, hoc tenore, ut si vos ei securitatem manendi, auctore Deo, contuleritis, secundum honorem Dei & sedis Apostolicæ, & tam vestræ, quàm nostræ Ecclesiæ manens vobis remaneat; sin autem, excusso puluere, tam in eos, qui ei repugnant, quàm in eos, qui eisdem consentiunt, in sua se quiete diu desiderata & optata.\*

\* Vox corrupta  
f. incensum.

\* collocet

Ille verò literas Cardinalium reuerenter suscipiens, ex eo, & deinceps, prædictam cellam, & Abbatem eius in suam tuitionem recepit, & omnem humanitatem & adiutorium, tam pro Deo, quàm pro reue-

z

rentia

rentia Papæ constantissimè ei impendit. Nam conuocatis, quos in Episcopatu suo habebat, religiosi viris, Heidenheimensis cœnobij canonicos ad se venire fecit, vt consilio & auxilio dissidium, quod religiosorum virorum inter eos erat, honestè & pacificè terminaret. At illi cum parentibus suis vnanimi obstinatione & conspiratione venerunt, exhortationibus Episcopi contradicentes, & per se & per suos omnes, quos potuerunt, ad odium Abbatis concitauerunt, & in eos, qui ei adharebant, sicut ignis in spinis, exarserunt. Sed & prædictum sacerdotem Illungum vastationibus & incendiis, eò quòd auctor huius reformationis extiterit, ad maximam paupertatem redegerunt, & non solum de domestica habitatione, sed etiam de patria eum expulerunt. Tanta enim vis & immensitas odij, & tot & tantæ procellæ aduersitatum, Heidenheimensem Abbatem circumdederunt, vt vix aliqui Abbates monachos suos in tantam desolationem, & in fauces mortis vellent dirigere, sed & paucissimi monachi inuenti sunt, qui proprii claustrii quiete postposita, caminum tantæ paupertatis & turbinem tantæ commotionis vellent tolerare.

Veruntamen Abbas cœnobij S. Michaëlis in Babberg & Abbas Bancensis, & Castellensis cum fratribus eorum, pia miseratione & compassione super afflictione Heidenheimensis Abbatis commoti, consilium & auxilium largiter & constanter ei præbuerunt. Nam vt taceam de largitionibus & supplementis, quæ in libris Missalibus, cæterisque rebus mobilibus, tempore necessitatis, ei contulerunt, hoc nulla ratione silendam esse existimo, quod monachos suos, monachos, inquam, conuersatione & animi constantia pro-

probatos, prædicto Abbati in adiutorium transmiserunt, qui humilitate & deuotione sua comprovincialium animos attraherent, & æmulorum indignationem sua mansuetudine ex magna parte mitigarent. Ipsi enim diuina virtute roborati, in omni aduersitate prædicto Abbati immobiles afficerunt, & tanquam fortes athletæ Christi æternam gloriam, & præmium sibi, & claustro suo bene viuendo comparauerunt. Videns itaque Episcopus animos eorum circa Abbatem obstinatos, Apostolicæ excommunicationis periculum eis opposuit, & ordinis sui detrimentum, & rerum suarum imminutionem, & quantos labores, & quanta mala inde passuri essent, rationabiliter eis exposuit. At illi, sicut aspides surdæ, obcurantes aures suas, eo tempore vocem Christi non audierunt, sed cum magna indignatione animi alias inducias quærentes, infecto negotio, à Domino Episcopo recesserunt. Veruntamen sicut insuperabilis miles Christi, & sicut in agricultura Christi constans & studiosus operarius, à commissio sibi negotio Episcopus non destitit; sed nunc blanditiis, nunc terroribus Heidenheimensium Canoniorum animos ad consentiendum sibi tandem inclinauit. Denique multo labore Episcopi emolliti, & Apostolicæ excommunicationis poena, & rerum suarum amissione perterriti, consenserunt pacem habere cum monachis, & præbendas cum arceis, quas in sui ambitu muri habebant, resignant omnes, hæc, quæ modo subscribemus, beneficia, in recompensationem resignatarum rerum absentibus parentibus suis receperunt.

Accepit autem quidam Arnoldus Sacerdos, qui prædictæ cellæ decanus fuerat, in recompensationem

decimas villæ, quæ Meinheim vocatur, præter Ecclesias, quas de manu Gebhardi Episcopi suscepit. Quidam verò Waltherus dominicale, quod in Titinheim situm est, in recompensationem accepit, quidam verò Megenvvardus, Suannigen, Braitenprunen, Rorach, Egilolffesvylare. Irmétruet duos mansus in Misaire, & molendinum vnum in recompensationem suscepit. Quidam quoque Eberhardus pro commutatione beneficiorum, quæ in Deckingen, hæreditario iure habebat, curtem, quæ est in Samenhausen, & decimas in Pflarnfelt sortitus est. Quidam verò Hermannus sacerdos mansum vnum in Truchtechingen accepit.

Hoc quoque peracto, firmissimè stabilitum est, vt post mortem eorum, integrè & sine impedimento totius mali ingenij, conseruata, ad vsus monachorum, inibi Deo seruientium redirent. Præter has terras denominatus nouus Abbas prædictæ cellæ ædificia, quæ in cella habebant, pro beneplacito eorum, & pro qualitate ædificiorum, ne pax, quæ mediante Episcopo, inter eos facta erat, quasi ex culpa sua rescindi videretur, de rebus Ecclesiæ, & sumptu suo satis laboriosè redemit. Dedit enim prænominato Megiavvardo, vnum talentum & dimidium, vt ædificia & aream, cum omnibus, quæ infra ambitum celle habebat, per manus Aduocati, & per largitionem Eisteteasis Episcopi, S. Wunbaldo contraderet, & omnis expostulatio & vexationes manu & calamo in futurum exfestucarètur. Similiter autem magistro scholarum pro ædificiis quatuor talenta persoluit; & quia scientia & morū honestate acceptabilis persona erat, cum graui impensa sibi eum reconciliauit; & prænomina-

minato Hermanno, pro quadam leni ædicula dimidium talentum tribuit, & Walthero antè pranotato decem bavvarios solidos, vt pacem bonam, & charitatem non fictam cum monachis haberet, cum magna cellæ extenuatione persoluit.

His ita ex industria & labore Episcopi & Adelberti aduocati compositis, parètes Canonorum zelum iustitiæ se habere putantes, lethali odio Abbatem, & eos, qui ei adharebant, persecuti sunt, & de facta reconciliatione plus quam credi potest, irascentes & dolentes, infronita facie insanire in Abbatem cœperunt, & cùm nihil pensi haberent, dum Abbatem & monachos de cella expellerent, subito Dominus in terram de coelo aspexit, & per merita SS. Willibaldi, Wunebaldi & Walpurgis virtutem suæ potentia manifestissimè ostendit: nam quidã Fridricus, homo ingenio subtilis & faciendus, cui tota parentela, tanquam columnæ ferrea, innitebatur, à Deo grauitè & multipliciter est flagellatus; cùm enim vnicum haberet filium forma & corpore elegantem, & eum diuitiarum suarum hæredem & baculum senectutis suæ futurum esse speraret, repenti cùm coeuis suis lasciuens oculum amisit, & post, paruo temporis spacio elapso, vitam cum intolerabili mœrore patris finiuit. Sed cùm nec sic pater nimia animi obstinatione induratus ad misericordiam monachorum inclinaretur, diutina, & mortali infirmitate correptus, necessitate compulsus crimen suum cognouit, & vocato Abbate ad se, per osculum pacis se se ei reconciliauit, & in fide bona, & in confessione Catholica, orationibus prædicti Abbatis se committens, fideliter ex hac vita migravit, & prædium suum, quod in Coleberch habebat, san-

Et Wunebaldo offerens, apud Monachos se sepeliri fecit.

Post cuius obitum, cum superstites prædictæ æmulationis socij, nec metu terrentur, nec amore Christi ad misericordiam & ad reconciliationem monachorum traherentur, quidam iuuenis Eberhardus nomine, qui innumerabilia mala monachis intulerat, & prænominato sacerdoti Ilfungo, in festo S. Wunebaldi, & in sanctissimo aduentu Domini nostri Iesv Christi, dum Reliquias Richardi Regis, ad Ecclesiam filij sui S. Wunebaldi deferret, \* ambulatorẽ abstulerat, excommunicatus vitam terribiliter finiuit.

\* equum

Præterea quidam diues homo, cui nomen de Oettingen, virtute corporis & diuitiarum abundantia pollens ærumnis diræ mortis oppressus, veniam suæ æmulationis à monachis postulauit, quam consecutus, & statim defunctus in Heidenheimensi cella à Monachis sepultus est. Huius Cunradi consobrinus, cui agnomen erat paruus Fridericus, Monachis sancti Wunebaldi inimicissimus, paruo post transacto tempore hydropis morbo percussus, & ad cellam sancti Wunebaldi deportatus, ibique Monachus factus, feliciter migravit ad Dominum.

Hermannus quoque quidam cognatus eorum, ideoque Monachis ingratus, in quodam castro occisus est, & ad prædictam cellam adductus, inter prædictos cognatos suos sepulturam accepit.

Cùm hæc quidam Wolframus audisset de Möringen, & cum fama de subito trāsitu eorum, qui absumpti erant, ubique crebresceret, venit ad Monachos, & reconciliatus est eis, factumque est, ut qui suspendium & mortem prius monachis minaretur, modo per meritum

ritum S. Wunibaldi Domino id efficiente, suffragia  
à Monachis precaretur.

Fuerunt autem ad huc eiusdem cognationis duo  
viri Regnoldus scilicet & Eberhardus, cognati ad in-  
uicem, & contra Monachos summo conamine decer-  
tantes. Hi totius amaritudinis molestias in Monachos  
exercuerunt, & sicut equus infrenis, obfirmatis sensi-  
bus, ad consensum pacis nulla ratione induci potue-  
runt. Sed Domino validam manum super cognatos  
& commilitones exercente, tandem, post multa tem-  
pora, timore Dei & amore precij inducti, quod prius  
se nunquam facturos condixerant, areas, quas infra  
ambitum habebant, Episcopo resignauerunt, & pa-  
ctas recompensationes inde recipientes, deinceps  
cum Abbate & fratribus suis pacem firmam habere  
consenserunt. Accepit autem Eberhardus in recom-  
pensationem areae suae XI. talenta probatae monetae.  
Regnoldus verò XIII. talenta in recompensatione  
areae suae recepit, & aream vnam iuxta Ecclesiam fan-  
ctae Walpurgis sitam, de laboribus & sumptu Abbatis  
aedificatam, & circumseptam, & spinis circumqua-  
munitam, & mansum vnum, sub hac tamen condi-  
tione, vt post mortem eius mansus & area ad vsus fra-  
trum redeant, cum omni integritate.

Ne autem per nimiam securitatem & tranquilli-  
tatem insolentia & dissolutio in cordibus Monacho-  
rum excreceret, seruauit eis Deus quasdam reliquias  
Amorrorum duras & difficiles, per quas in camino  
tribulationum exercerentur, & quibus Deus, si fortè  
nimia prosperitate extra se fierent, ad correctionem  
eorum, pro flagello vteretur. Confortati itaque Ab-  
bas & Monachi in Domino, Dominum, qui saluat in  
se spe-



se sperantes, benedixerunt, & magnalia Dei, & validam manum, quam circa æmulo eorum exercuerat, non arroganter, tanquam de vltione inimicorum, gaudentes, sed in timore Domini, & in spiritu humilitatis vbique diulgauerunt. Gaudebant omnes fideles Christi, de transformata & renouata religione Heidenheimensis cœnobij, & Eugenium Papam, cuius auctoritate hæc facta sunt, & Eberhardum Babbergensem Præsulem, quorum studio & diligentia ista peracta sunt, in conspectu Domini benedixerunt.

Videns itaque Abbas prædictæ cellæ, quod Dominus mari & ventis imperasset, & per interuentum B. Wunebaldi aliquantulum quietius & remissius haberet, recordatus est beneficiorum omnium, quæ in tempore tribulationis Heidenheimensis parochianus sibi contulerat, & pertractans secum, quam graue peccatum & vitium sit ingratum & immemorem esse beneficiorum, decimas Heidenheimensis parochiæ, quæ ad ipsum pertinebant, prædicto parochiano, quoad vsque viueret, in beneficium præstaret, sed integras & indiuisas in proprios vsus referuaret, & post mortem eius sine diminutione ad vtilitatem monasterij redirent; quas ille gratanter, & cum gratiarum actione suscipiens, ex deuoto deuotissimum se exhibuit, & in omne deuotionis obsequium paratissimum se Abbati ostendit.

Cœpit itaque paulatim furor sæuientium contra Monachos decrescere, & multitudo eorum, qui religionem, & diuini officij diligebant dulcedinem augeri, ita vt parti Monachorum fauerent, & orationibus eorum se committerent. & frequentando locum, affectum sinceræ caritatis ostenderent, & proximos  
suos

suos defunctos apud eos sepelirent, & de prædiis, & de mancipiis, & de rebus mobilibus prædictam cellam ditarent.

Quod factum miro modo Eistettensi Episcopo Cunrado complacuit, eo quod S. Wunebaldum in quadam singulari veneratione & deuotione haberet, & post tanta temporum curricula reformationem illam non sine causâ suis temporibus reseruata esse intelligeret. Nam idem Episcopus Cunradus dolens vicem S. Wunebaldi, scilicet quod in loco fratris sui nullam ædiculam, nullam aram sui tituli haberet, zelo Dei armatus, & igne diuini amoris succensus, capellam in proprio domate fabricauit, & eam supradicto confessori S. Wunebaldo intitulauit & consecrauit; & quantus in corde suo esset, pretiosus ille confessor Christi, manifestis indiciis ostendit. Cùm verò honorando S. Wunebaldum, veraciter sibi conciliauit fratrem suum S. Willibaldum, & quia sanctis Dei suam exhibuit deuotionem, ipsis mediantibus & intercedentibus, eum, qui mirabilis in sanctis suis est, eum, qui gloriosus in maiestate sua est, pro peccatis suis inueniet propitiatorem.

Contigit autem, vt ad aures Adriani Papæ, qui tertius post Eugenium Papam Apostolicam sedem regebat, fama prædictæ cellæ perueniret, & ipse de reformatione monasticæ religionis, & de eliminatione secularium vanitatum in Domino gauderet. Cùmq; audiuisset nouellam plantationem esse Eugenij Papæ, \* essent afflicti & castigati, misericordia motus \*Videtur addendum, quodque. coepit & ipse manum clementiæ suæ apponere. Nam Abbatem & cellam in suam tuitionem suscepit, & literas confirmationis hunc modum continentes, Eber-

Aa hardo

hardo Babbergenſi Epifcopo rogante, humili Abbatum tranſmiſit.

Adrianus Epifcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Adelberto Abbati, & vniuerſis fratribus Heidenheim, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam ſine verę cultu religionis, nec caritatis vnio poteſt ſalua ſubſiſtere, nec gratus Deo ſamulatus impendi: oportet nos in vniuerſis Eccleſiis ſacrę religionis cultum Domino cooperante ſtatuerę, & conſtitutam exacta diligentia conſeruare. Quocirca dilecti in Domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus concurrentes aſſenſu, monaſterium veſtrum ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo monaſticus, qui ex mandato felicitis memorię Papę Eugenij, Prędeceſſoris noſtri, per ſtudium & prouidentiam venerabilis fratris noſtri Eberhardi Babbergenſis Epifcopi, & dilecti filij noſtri Adam Abbatis de Ebrach, in ipſo monaſterio dinoscitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Pręterea quęcunque bona idem monaſterium in præſentiarum iuſtę & canonicę poſſidet, aut in futurum rationabiliter, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtrisq; ſucceſſoribus, & illibata permanceant.

Decernimus ergo, vt nulli omninõ hominum liceat idem monaſterium temerę perturbare, poſſeſſiones eius auferre, diminuerę, vel aliquibus vexationibus fatigare; ſed illibata omnia & integra conſeruentur, veſtris & veſtrorum ſucceſſorum vſibus profutura, ſalua nimirum diocęſani Epifcopi Canonica iuſtitia. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, & ſecundõ terrioue commoſtus, præſumptionem ſuam ſatiſfactione congrua non correxerit, poteſtatis honorisq; ſui dignitate careat, reumq; ſe iudicio diuino exiſtere, de perpetrata iniquitate cognoſcat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus, ſit pax Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum actionis bonę percipiant, & apud diſtinctum iudicem præmia æternę pacis inueniant. Data in territorio Tiburtino V. Idus Iulij.

Cùm igitur non eſſet Sathan, neq; occurſus malus, & cùm eſſent praua in directã, & aſpera in vias planas, repente iuſtus iudex, & occultorum cognitor.

Deus,

Deus, omnia ædificia, quæ Abbas de manibus inimicorum suorum magno sumptu & graui labore eripuerat, in nihilum redigi permisit. Insuper noua ædificia, quæ Abbas ad necessitatem fratrum suorum superædificauerat, tanquam nunquam fuerint, penitus dissipauit; sed & ipsum monasterium, & quod sine lacrimis effari non possumus, ipsam tumbam S. Wunibaldi, auro & argento pretioso, & artificioso opere decoratam, & altaria infra monasterium posita, ignis conflagratione & turbinum, ita Deus minui & deleri permisit, vt Christianus oculus prædictam desolationem sine lacrimis, & sine contritione cordis videre non possit.

Tunc prædictus Abbas nouis doloribus & laboribus in camino paupertatis, tanquam ab initio excoquitur, & omnibus, quæ habebat amissis, quid super hac re sibi agendum sit, ne antiquarum sordium semina sua imbecillitate & senectute recrescant, à fidelibus Christi consilium & auxilium quærere cogitur. Non enim se sibi sufficere in tam graui causa, & in tam lamentabili desolatione arbitratus est. Sed attendens illud, quod scriptum est, *quicuncta agunt cum consilio, reguntur sapientia*; & illud, *scientia sapientis, tanquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons vitæ permanet*; conuenit religiosas personas, scilicet Episcopos & Abbates, aliosque fideles Christi, in quibus spiritum Dei esse nouerat, & nouæ exustionis calamitatem & omnimodæ vastationis desolationem lamentabiliter eis exposuit, adiungens hoc, quod ad recuperationem tantæ annullationis sua persona non sufficeret, eo quod annis & senio confectus, & laboribus & tribulationib<sup>9</sup> fractus & attritus, iam pœnè defice-

*Prou. 23.  
Ecclef. 22.*

ret. At illi pietatis zelo inducti, & fraternę compassio-  
nis feruore compuncti, antidoto dulcissimę consolati-  
onis turbatum Abbatem refecerunt, & ne in tem-  
pore tentationis deficeret, scripturarum auctoritati-  
bus eum roborauerunt, dicentes, quod seruum Chri-  
sti aduersa probant, non deiiciunt; & quod, *beatus est*  
*vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit,*  
*accipiet coronam vite.* Sed & quidam illorum ad reedi-  
ficationem monasterij aliquid de bonis suis Ecclesię  
contulerunt. Non enim tunc magna potuerunt dare,  
quia in expeditione Imperatoris Friderici, quę tunc  
temporis Mediolanum facta est, quęcunque corrade-  
re poterant, oportebat eos expendere.

Tunc Abbas exhortationibus & monitis fidelium  
Christi, tanquam aquila, renouatus & confortatus,  
ad novos labores perferendos virtute, qua poterat, se  
pręparauit, & per se & per fratres suos fidelissimos &  
deuotissimos, opus ædificiorum initiauit, & in con-  
struendis officinis claustralibus, & imponendo fun-  
damento Monasterij studiosissimum seruum, & de-  
uotissimum exhibuit. Dicebat autem, si hoc opus a  
me in Christo, qui totius bonitatis est origo & con-  
summator, inceptum fuerit; alius qui mihi mortuo  
vel viuęti successerit, sine dedecore, & sine hominum  
oblatione, ab incepto opere nõ facile manum retra-  
here poterit. Laborauit itaq; in ponendo fundamen-  
to multo tempore, & quia paludosa terra erat, per  
omne fundamentum firmissimos palos densissime &  
firmissime magistros operum fecit imprimere. Non-  
dum firma cicatrix vulnus exustionis obduxerat, cum  
ecce manus Domini adhuc extenta, quidquid Abbas  
extra monasterium in villis habebat, grandinis per-  
cussio-

Jacob. x.

cussione ita contriuit, & imminuit, vt non solum ali-  
 menta presentis anni emere, verum etiam semen vn-  
 de sibi in futurum prouideret, cogeretur vndecunq;  
 colligere. Nec in his omnibus adhuc auersus est furor  
 Domini, sed manus eius adhuc extenta. Nam dux  
 Baiorię & Saxonię cum eundo in expeditione tran-  
 situm per \* Suaueldiam faceret, præstâtissima & pre-  
 tiosissima bona, quæ habebat Abbas, à militibus eius  
 in fauillam & cinerem sunt redacta: Et sic *residuum bru-* 10cl. 1.  
*chi comedit locusta.* Videns autem Abbas multiplici fla-  
 gello tribulationum se circumuallatum, & acutissi-  
 mis spinis diuersarum angustiarum vndique circum-  
 septum, ad atria scripturarum, & ad illam turrim Da-  
 uid, quæ cum propugnaculis ædificata est, *in qua mille* 1. ant. 4.  
*clypei pendent, & in qua omnis armatura fortium inueni-*  
*tur, humilis & supplex confugit; & patientiam B. Iob*  
*sibi imitandam in corde suo proposuit, verissimè sci-*  
*ens, quod patientia nobis est valdè necessaria, & quod in pa-* Hebr. 10.  
*tientia nostra possidenda est nobis anima nostra.* Attendens Luc. 21.  
 ergo, quia *per multas tribulationes oportet nos introire in* 1. ant. 14.  
*regnum cælorum, & quia iudicia Dei abyssus multa;* de pro- Psal. 35.  
 fundo cordis clamauit ad Dominum, vt qui sæpe in  
 prosperitatibus huius seculi ab extollètia oculorum,  
 secundum suam misericordiam conseruauit eum il-  
 læsum, modò per interuentum confessoris sui Wune-  
 baldi, ne aduersitatibus frangeretur, custodiret illæ-  
 sum.

Præterea prædictus Abbas, & fratres sui, spe cœ-  
 lestis gratiæ muniti, & clypeo diuinæ protectionis ar-  
 mati, non propter ædificiorum laborem & impen-  
 sam, non propter victus & vestitus penuriam, non  
 propter grandinis percussione, neque propter in-

psal. 6.

Job. 7.

cendiorum vastationem à proposito constantia, & perseverantia, in omnibus, quæ eis in Deo agenda erant, cessauerunt: Sed omnem curam & sollicitudinem suam, in Deum, qui saluat sperantes in se, proiecentes, corde & corpore in omni diuino eloquio deuotissimos se exhibuerunt. Et omnia, quæ, Deo permittente, eis acciderant, peccatis suis imputantes, cum B. Iob exclamauerunt. *Si bona suscepimus de manu Domini, &c.* Factum est autem, vt Abbas graui & immediabili infirmitate tangeretur, ad eò vt super vires suas magis ex desiderij virtute, quàm ex corporis fortitudine, iugum impositæ sibi obedientiæ portaret, eò quòd in continua viscerum tortura, & in aliis grauibus, sed occultis infirmitatibus assidue laboraret. Unde fratres sui paterno dolori zelo pietatis compatiētes, contristati sunt valde, & omnem humanitatem, & benignitatem, tanquam ipsi Christo diligendo, obsequendo ei impenderunt.

Hæc Adelbertus Abbas, qui primus post S. Wunebaldum dispensationem Heidenheimensis cellæ, Eugenio Papa præcipiente, suscepit, corrente stilo & humili sermone conscripsit, vt posteritati notum fieret, quàm mirabiliter, quàm misericorditer, quàm rationabiliter, post tot annorū spatia, per Eugenium Papam ad statum primæ institutionis prædictam cellam Deus restituisset. \*

\* Hic sine dubio  
finitur Relatio  
Adelberti, et se-  
quētia nihil sint  
nisi assumētum.

B. Wunebaldus, sicut conuersationis eius testatur historia, locum, qui Heidenheim dicitur, in media Svvalaueldia situm, tunc temporis saltuarium syluestrem quæ nimium, primitus, vt ibi Monasterium faceret, inuestigat, inuestigatum quæ à vicinis, quorum fundus ille erat, pretio redemit, emptum quæ spinis, tribu-

tribulis, ve pribusque purgavit, primusque omnium hominum, iuxta fontem, qui ibi exoritur, saluberrimum, iugisque aquæ, domicilium habitationis erexit. Ipse namque paucis admodum cum Monachis iuuenibus, vnà cum sorore sua sacratissima virgine Walpurga, suis manibus tribulos & spinas eruebat, vepres secabat, locumque illum à tescuarum squalore emundabat, & monasterium, quod vsque hodie ibi est, annisu auxilioque B. Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, adminiculoque fratris sui Willibaldi, confessoris Christi, & Aureacensis Episcopi, illic construxit, monachosque ex vna parte eiusdem monasterij congregavit; in alia verò parte sanctissimam virginem Walpurgam, sororem scilicet suam, cum sanctis Monialibus sibi subiectis, Deoque deuotis collocavit. Ipse quoque à S. Bonifacio Archiepiscopo, à sanctoque Willibaldo Episcopo S. Bonifacii Suffraganeo, illic in Abbatem est consecratus, paterque monasterij decem, post consecrationem annis, magnis virtutibus claruit, monachosque vnà cum sanctimonialibus sibi subiectis in certamine regulaque B. Benedicti plenissime instruxit. Beato verò Wunebaldo de hoc mundo ad coelestem remunerationem euocato, monachisque illis, qui sub eo erant, illum ad eandem remunerationem partim sequentibus, partimque quasi oues sine pastore errantibus: B. Walpurgis ex consultu B. Bonifacii Archiepiscopi, sanctique Willibaldi fratris sui consensu, hereditarioque iure in loco eodem fratri suo, vnà cum sanctimonialibus successit, totumque locum illum cum omnibus utensilibus suis vni illi congregationi vendicavit, regulamque eandem, quam sub fratre suo prius exerceverant, vsque ad annum post obitum

obitum



\* Gerhochus

obitum fratris sui sedecimū, religiosissimè excoluit. Cùm verò & ipsa ad sponsi sui Christi thalamum ex huius exilij tenebris esset accersita, & virgines, quas hic habuit prudentes, lampadibus cum ea intrassent ad nuptias: \* Gerhochus Episcopus, qui tunc Aureacensis cathedra subnixus erat, qui etiam, vt dicitur, S. Willibaldi filiaſter erat, oblitus religionis, quam S. Wunnebalduſ, vna cum ſore ſua S. Walpurga, ex conſenſu præceptoq̄ue S. Willibaldi fratris ſui Episcopi, ſanctiſſimè inchoauerāt, canonicos in eodem loco conſtituit, & eorum neceſſitati, pro qualitate abundantie illius monaſterij, & vt ratio dictauit, prouidit. Religio ergo à ſanctis illis ſanctiſſimè inchoata paulatim euaneſcere cœpit, abbatiaq̄ue in præpoſituram conuerſa, venalis habebatur; patrimonia pauperum ad pretia conſtituta ſunt. Præpoſitura namq̄ue ad penſam libræ vendebatur, quæ vix pro XL. talentis emebatur; præbendaq̄ue pro quatuor vel tribus talentis comparabatur. Cœpit ergo ſimonia illius clauiſtri diſpenſare rem publicam, ſucceſſitq̄ue ſimoniae in adiutorium, vbi minus valebat, violentia & ſupplantatio. Vnde factum eſt, vt viliſſimo cuique præpoſiturae pateret dignitas, eo modo, vt ſi quis ad emendam præpoſituram pecuniam non haberet, conto eam vel gladio extorqueret, iniuſtaq̄ue ſupplantatione eam ſibi vendicaret.

Decania quoque, in qua rigor correctionis eſſe deberet, cuiquam leuiſſimo timidiſſimoq̄ue tradebatur. ne liberam corrigendi ceteros haberet vocem. Ea propter innumerabiles exceſſus ille locus frequenter ſuſtinuit, fueruntq̄ue in illo loco diſſenſiones, iræ, rixæ, blaſphemia, opprobria, direptiones, ceteraq̄ue innu-

innumerabilia incommoda, sanctæq; conuersationi aduersantia. Hæc quoque tot animarum pericula à tempore Pipini Imperatoris vsq; ad tempora Lotharij Imperatoris, cui Cunradus Rex successit in Regno, durauerant, locum illum penitus destruxerant, hæreditariaque præsumptione canonici illi locum illum, deuastrauerant, & ad Dei vindictam punitionemque conuersationum illorum se inuicem accusantium, antiqua religio omnino annihilata est. Nec aliquis præcedentium Episcoporum præsumptionem hanc sedare potuit, donec Gebhardus, qui post redditam Ecclesiarum electionis libertatem, primus ad Aureacensem Ecclesiam gubernandam electus est, præsumptionem illam zelo iustitiæ æmulari cœpit. Hic ergo cùm vidisset, quod nulla alia ratione loci illius defectui subuenire posset, Deo admonente, cœpit de reformanda antiquitus ibi habita religione cogitare, consultis Ecclesiarum primatibus Adelberto Moguntino Archiepiscopo, Metropolitano scilicet suo, Kûrado Salzburgenfi Archiepiscopo, atque Ottone sanctissimo Babbergenfi Episcopo, cæterisque Ecclesiarum Rectoribus, eorumque consilio prudenter & literis Præposituram, Decaniam, atque præbendas deuastati illius loci, aliquantisper temporis permisit vacare, possessoribus eorum de medio ablati vsque ad X. Canonicos. quorum nomina sunt Helisæus, Ezzo, Fridericus, Megenvvardus, Cûradus, Arnolfus, Gebhardus, Hermanus, Cunradus. Qui omnes, *Decimus Sibi* dubium an diuina inspiratione instigati, an voluntaria animi commotione compulsi, ad maiorem forsitan animarum suarum perniciem, velut nunc apparet, ad vastiorem eiusdem loci desolationem, vnanimiter confi-

lium inierunt, vt locum illum iam diu desolatum, antiquæ religioni redderent, suæque procurationis dispensationem, clemētia Domini sui Gebehardi Episcopi committerent, veniamque ab eo excessuum, quos illi exercuerant, promererentur, Kunradum quoque Sacerdotum vnum ex eis, ad confirmandum consilium suum, votumque; perficiendum, ad eundem Episcopum Gebehardum in testimonium consilij sui transmiserunt. Quem, vt moris sui fuit, benignissimè suscepit, super hac legatione clementiam Dei magnificat. Ne quid tamen irrationabile inciperet, & sine Ecclesiastica auctoritate perficeret, Dominum Apostolicū Eugenium super huius negotij qualitate consuluit, qui tunc Rhemis, quæ est Metropolis Galliarum, synodum celebrauit; Metropolitanum quoque suum, Henricum scilicet Moguntinæ Ecclesiæ Sedis Archiepiscopum, qui & hodie est, consuluisse. Apostolicus verò votum laudabile approbavit, & ad hoc corroborandum perficiendumque, viros sanctitatis testimonio probatissimos, Adam scilicet Abbatem Ebracensem, Ratisbonensem, & Hermannum similiter Augustensem Scholasticum in testimonium suæ approbationis, vna cum Episcopo nostro, vsque ad nos transmisit, eisque dispensationis potestatem super hoc negotio tradidit.

19eb

Episcopus igitur Gebehardus, sua Apostolicaque auctoritate parochias, quas tunc vacantes habuit, vna cum beneficiis quibusdam Heidenheimensis Ecclesiæ prænominatis fratribus benignissimè distribuit, & locum illum sine querela & absque murmuratione ad maiorem, quàm tunc ibi fuerat religionem excolendam, liberauit, solo tantum Megenvarado Diacono

cono illicitamente, qui sententiam voti sui, amicorum suorum minis cogentibus mutavit. Arnolfus quoque Presbyter duas Ecclesias, quas in recompensationem suæ Canonice recepit, immemor voti sui, Episcopo ad perficiendum sua reuocare studuisset, ægritudine mortis diu detentus, tandem de medio, proh dolor, ablatu est. Illi ergo qualitercunq; reuocati, reliquisq; confratribus suis, irreuocatis & inconsultis, eundem locum contra Apostolicæ auctoritatis confirmationem ceperunt. Qui etiam beneficium, ab Episcopo meo Gebehardo in recompensationem præbendæ meæ, mihi liberè concessum, Apostolica hoc clementia dispensante, contra ius caritatis iustitiæque priuilegium, contraque Apostolicam auctoritatem sibi vsurpauerunt; Episcopo nostro Burchardo non solum illud non prohibente, sed omnibus modis illis ad hoc fauente. Huius necessitatis causa, Apostolicam appello audientiam, præsidiumq; Apostolorum Petri & Pauli, eorumque successoris Eugenij Papæ, qui & in præsentem est requiro, illisque illuc vocatis diem terminumq; mihi respondendi festum S. Lucæ Euangelistæ constituo. Ex hac quoque die me, & omnia mea in tutelam Domini quoque committo.\*

Si S. Wunibaldus aut Adelbertus hodie Heidenheimium veniret, forsan Psalmum illum Davidis lugubriter decantarent. *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templam sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, &c.* Hæc tamen desolationis fors Heidenheimio cum plurimis aliis Monasteriis communis est; quibus ab hæresi idem accidit, quod olim civitati Hierosolymitanæ à Babyloniis, vt proinde hæc tempora nostra sacris domiciliis tam

\* Finis Relationis  
Adelberti Abbatis  
Heidenheimensis.

infesta, æque egeant aliquo Hieremia, qui threnos pangat, ac prisca illa.


## CAPVT VIII.

*De sancto Deocharo.*

**T**rihemius lib. 3. de viris Illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 234. *Deocharus Monachus & Abas Heidenheimensis, in Diœcesi Eystettensi, vir valde venerabilis scientia scripturarum, & religione Monastica conuersationis, insignis, multis effulsit virtutibus. Eius festum VII. Idus Iunij agitur, sacra autem Reliquia eius Norimbergæ habentur.*


Vbi tamen corrigendus est Trithemius, nam Deocharus, Germanis *Gottlieb*/Græcis, *Theophilus*, non fuit Abbas Heidenheimensis, sed Hasenrietanus, seu Hernriedensis, initio enim Monasterium erat, conditum à Carolo Magno, cuius primus Abbas, Deocharus. Postea vertit in Canonicorum collegium, prout etiam hodie manet. Erat autem locus, vbi nunc Hernrieda, vastus & desertus, cum à S. Deocharo incoli ceptus est; in cuius gratiam Carolus Magnus exiguam ædiculam Deiparæ Virgini consecratam, extruxit; quæ in magna religione & veneratione fuit vsque ad auorum vel proauorum nostrorû memoriam, nam anno salutis M. CCCC. XC. in Vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli incendio periit cum potiore ciuitatis parte.

Supradictæ Ædiculæ, (vel Oratorio, vel Capelle) adiecit postea Carolus Magnus insigne Monasterium Ordinis D. Benedicti, cuius primus Abbas, S. Deocharus; sed non diu post, nempe, sub Erchenbaldo, Episcopo



S. DEOCHARVS  
ABBAS.

Dilectus Deo et hominib9.



scopo Eystettenſi VIII. Monachis ſubrogati ſunt Canonici. Nec oppidum Hernrieden alicui alteri ſua incunabula debet, quàm Monasterio S. Deocari, eius enim occasione (quod & alibi ſæpius factum nouimus) varij ibidem domicilia fixerunt, & terram incultam excolere cœperunt, tanto ſtudio & conatu, vt vel inuitam miteſcere cogerent. Quo anno Domini Deocarus res mortales reliquerit ad cœleſtem beatitudinem translatus, mihi non liquet. Certum eſt, ſanctitatem viri poſt mortem varijs miraculis à Deo declaratam & illuſtratam eſſe.

Anno ſalutis M. CCC. XVI. eleuatum eſt ſacrum corpus S. Deocari, præſente Ludouico IV. Imp. Bauario, & Philippo XXIX. Epifcopo Eystettenſi, repositumque in ſarcophago lapideo, portione de ſacris Reliquiis Ludouico Imperatori data, qui ea Norimbergenuſium Templum Laurentianum cohoneſtauit, in cuius altari duodecim Apoſtoliſ conſecrato religioſè aſſeruata eſt. Anno Chriſti M. CCCC. XVI. vel, vt eſt in alio exemplari M. CCCC. VI. translatum eſt hoc altare cum Reliquiis S. Deocari ad nouum ſacellum, in honorem S. Deochari dedicatum, quod vulgus quoque S. Gottliebs Capell nominat.


Anno Domini M. CCCC. LXXXII. ipſo Paſchatis feſto, præſentibus Wilhelmo Epifcopo Eystettenſi, nonnullisque Canonicis tam Eystettenſibus, quàm Hernriedenſibus, apertus eſt lapideus ille, de quo ſupra, ſarcophagus; in quo reperta ſunt ſacra oſſa Deochari, viridi eoque ſerico panno inuoluta, non ſine gratiſſimi odoris fragrantia, quæ ex veteri conditorio exempta Wilhelmus Epifcopus in nouum, abs ſe procuratum tranſtulit.



Porro tam Hernriedæ, quàm Norimbergæ Deus varia miracula beatis hisce lipsanis interuenientibus, edidit; nam & cæcis visus, claudisque gressus restitutus est: fugati omnis generis morbi, etiam Epilepsia. Fœdus strumæ tumor depulsus. Vita reddita iam ad mortis limina admotis: In præceps delapsi quidam, absque noxa, inuocato S. Deocarî subsidio. Denique multa alia beneficia ad sacros hos cineres mortalibus accurrentibus diuinitus concessa sunt: quorum catalogum vernaculo idiomate conscriptum vidi in Monasterio Rebdorffensi propè Eystadium, monstrante admodum Reuerendo Patre ac Domino, *Leonardo Crausio*, cœnobij illius Priore vigilantissimo. Quid autem Reliquiis istis factum sit, postquam Lutherus Norimbergam occupauit, mihi incompertum est. Altera & potior pars Hernriedæ adhuc reuerenter custoditur & colitur. Nec plura de S. Deocarî indagare potui.

## CAPVT IX.

De S. Sebaldo, Norimbergensium  
D. Tutelari.

 Ancto Deocarî adiungere visum est S. Sebaldum, quia vt locis vicini, ita annis non fuere adeo diffiti. De quo ex Schedelio *Ætate VI. Centuriatores Cent. 8. cap. 10.* (admixtis tamen conuiciis, quæ in Schedelio non legerant, sed ex amarulenta mente sua deprompserant.) *Sebaldus Regis Dacia filius Parisiis operam literis dedit: ac noctu cum deberet cum sponsa dormire, aufugit, si credere fas est.* Difficile creditu hoc Prædicantibus accidit; quis enim ex illorum numero lectum genialem bene instructum, iam iam-  
que

que incendendum fugitaret? Quis sponsâ relictâ, solitudinem vel Monasterium peteret, cum amor sp̄sarum, vel potius meretricû, præcipuos quinti Evangelij tibicines ex Monasteriis abstraxerit, & ad Neæras Cynthiasque quærendas sibi que copulandas adduxerit.

Addunt Centuriatores. *Et in eremo annos quindecim exegit. Inde Romam superstitionis (non superstitionis sed religionis) ergo venit; & à Gregorio I I. ad Germanos ablegatus est, ut iis prædicaret Pontificias superstitiones (Iterum labitur vester calamus, ô Centuriatores: non missus est prædicare superstitiones, sed veram in Christum Redemptorem nostrum, fidem; quam aut Noricis tradidit, aut Norici vsq; ad Lutherum veri Christiani non fuerunt; cum certum sit Norimbergæ finitimi que locis aliam fidem non fuisse cultam & publicè receptam, nisi illam, quæ à S. Sebaldo tradita fuerat.*

Iterum audiamus Centuriarum opifices. *Ad Longobardos ergo accessit, & postea Ratisbonam, ac postremo prope Norimbergam in solitudine vixit. Doctrina & miraculis claruit (gratiæ Centuriatoribus pro hac confessione) quibus in eremo fortè arboribus & feris profuit, ad homines enim solitarius rarò venit. At alij ad solitarios accurrebant, & quidem sturnatim, quibus exemplo sanctæ & asperæ suæ vitæ, miraculisq; & salutaribus hortamentis plurimum proderat. Exempla huiusmodi accessus ad Eremicolas, si petis, ea tibi Philotheus, seu historia Religiosa Theodoretii suppeditabit; vt & alia monumenta, quæ libro, quem *vitas Patrum* appellamus, inserta sunt. Illi verò Anachoretæ, qui à consortio mortalium penitus sese remouerunt, haud quaquam pro inutilibus terræ ponderibus reputandi sunt, quia hu-*

mano

mano generi orationibus suis ad Deum iugiter profusis, multò maxima emolumenta adferunt; vt ipse etiam S. Augustinus in libro de Ecclesiæ Catholica moribus agnouit, palamque prædicauit.

Nunc dicite Centuriones, quæ dicenda restant. Tandem Norimberga in Oratorio fratrum Martino dedicata (scelus infandum contra leges Isaurici & Copronymi commissum esset, si sancti prænomine S. Martinum honorassetis) quem boues indomiti ad locum sepultura duxerunt. Postea crescete superstitione (pectus vestrum superstitionibus plenum esse oportet, alioqui roties non eructaretis superstitiones) Pontifex Martinus V. eum in Diuorum numerum retulit, & festum diem per uniuersum orbem terrarum XIV. Septembris in honorem eius celebrari iussit. Sed Centuriatores scribere debebant XIV. Kalend. Septembris, qui est dies XIX. Augusti: quo die memoria & depositio S. Sebaldi apud Norimbergam consignatur.

Sed iam reddamus ex ipsis Chronicis de S. Sebaldò verba pura, nulloq; criminationum hæreticorum cæno maculata: nam verbis Chronicorum & addiderunt Centuriatores, nimirum sua maledicta; & detraxerunt, nempe encomia, quæ Auctor ille plena manu in S. Sebaldum congerit. Audi iam Chronicon.

Sebaldus Confessor dignissimus ac sanctissimus, hac tempestate (vt quidam ferunt) doctrina ac sanctitate in Germania floruit. Is ex nobilissimis ortus Parentibus, Regis Dacie filius ac regina castissima; qui votis & precibus à Deo hanc sobolem impetrarunt. Ab ineunte aetate disciplinæ & literæ traditus, pro adipiscendis liberalibus artibus in adolescentia Parisios petiit. Cum eruditissimus euasisset, virgo pulcherrima de familia Regum Francorum matrimonio ei iuncta fuit.

Verum

Verum spretis mundialibus pompis, relicto Regno sponsam elegantissimam nocte deseruit; in longinquas regiones ac heremum secessit. Vbi cum annis XV. sanctissime vixisset, inde deuotionis gratia Romam perueniens, à Gregorio II. summo Pontifice ad Germanos prædicationis gratia directus VVilibaldum & VVunibaldum fratres itineris comites habuit. Et primò apud Longobardos, deinde Ratisponæ doctrina, virtutibus ac miraculis claruit. Postremò apud Nurembergam in solitudine nemorum religiosissimam ac perfectissimam vitam usque in finem exegit. Vbi præter doctrinam populo exhibitam miraculorum gloria nominatissimus euasit. Tandem plenus dierum adoratorium fratrum S. Martino dicatum Nuremberga (ubi modo cœnobium ordinis D. Benedicti ad sanctum Egidium nuncupatum) peruenit, infirmitate ac senio correptus sanctissime migravit ad Dominum. Cuius sanctum corpus ab indomitis bobus ad locum sepultura ductum, ubi insignis Basilica in eius nomine extructa est. Quem postmodum summi Pontifices propter crebra miracula in Sanctorum confessorum numerum aggregauerunt, præcipue Martinus V. Papa. Eius festum per uniuersum orbem XIV. Kal. Septembr. celebrari iussit. Quamobrem apud Nurembergenses summo honore quotannis colitur; cum Nuremberga præclara vrbs meritis huius dignissimi patroni augmentum in omni honore & gloria vbertim sensit.

De confluxu populi ad S. Sebaldi memoriam & sepulchrum, hæc Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum Christi M. LXXIII. Clara & celebris valde his temporibus per Germanias & Gallias erat memoria S. Sebaldi in Nuremberg, & S. Heimeradi in Hasungea (Monasterio Ordinis D. Benedicti in Turingia) & magno populorū concursu quotidie frequentabantur propter opitulationes, quæ diuinitus illic languentibus sæpenumero conferebantur.

Cc

Se-

Sepulchrum S. Sebaldi carmine non ineleganti  
descripsit Eobanus Hessus in sua Norimberga, licet  
iam tum Lutherani Euangelij afflatu penitus inflatus  
esset. Sic autem canit.

\*D. Petri, scilicet  
S. Sebaldi.

Exstat \* in hoc Templo monumentum in signe Sebaldi.  
Quem diuum pars magna vocant, hic primus ab orbe  
Externo veniens, fertur loca nostra colentes  
Christicolam docuisse fidem, pro cuius honore  
Officij meritis q̄ piis his cultibus illum  
Affecit pia cura patrum, testata salutem  
Hoc primum doctore sibi q̄, suis q̄, paratam.  
At q̄ ideo hoc illi posuere in signe sepulchrum  
Officij memores, quo non praestantius vllum  
Siue manu, siue ingenio, siue arte magistra  
Contendisse libet, totum est ex are nitenti  
Artificis cœlata manu, pulcherrima moles  
Naturæ variis operum, forma omnis ab imo  
Surgit epistylis fracta ex crescentibus inter  
Serpentum species operosa torumata florum.  
In summa coit, & pulchri fastigia tecti  
Contrahit, ipsa etiam variis cœlata figuris.  
Non angustat amen, ne vertex summus acutam  
Pyramidem faciat, quanquam tres Pyramidales  
Adsimilet conos; circum capitella columnis  
Addita sunt, spiræ q̄ breues, toruli q̄ rotundi,  
At q̄ abaci teretes, quibus aut simulachra Deorum,  
Aut hominum insistent, videas colludere fictas  
Arte puellarum effigies, semper q̄ nouatos  
Formarum vultus, colubros adrepere, nudas  
Stare puellarum species tenuis ilia, donec  
In caudas abeant media plus parte draconum.  
Quid statuas alias memorem matrum q̄ virorum q̄

Has

*Has nudas, illas armis & vestibus aptas?  
 Quid tot quadrupedum formas? tot sculpta Leonum  
 Corpora? nudorum infantum quid mille figuras?  
 Musanec vlla queat tanto satis esse labori,  
 Nec verbis equare opus immortale futurum,  
 Quod neq; Praxiteles, nec Axyron, nec Polycletus,  
 Nemo Cares, nemo Scopas reprehendere possit.  
 Quanquam fama illos sculpendi nobilis aris  
 Commendat, nostros melior peruenit in annos  
 Gloria. Sicut enim fuit ignorantior atas,  
 Et rudis illa prior, sic nos crescentibus annis  
 Crescere, & inuentis meliores addere rebus  
 Par fuit, & veterum vinci feliciter artes.*

Exstructum est hoc tam magnificum D. Sebaldi mo-  
 numentum anno salutis M. D. XIX. constitit 157.  
 centenariis, & 29. libris Orichalci, quolibet centena-  
 rio 20. florenis comparato, vt annotatur in manuscri-  
 pto quodam vrbis Norimbergensis Chronico.

Audiamus quoque Musam Conradi Celtis, qui  
 primus ex Germanis Imperatoriis manibus laurea,  
 Apollinari donatus atque coronatus est.

CONRADI CELTIS HYMNVS  
 SAPPHICVS IN VITAM  
 S. SEBALDI.

**R**egia stirpis soboles Sebalde,  
 Norica multum veneratus vrbe,  
 Dat uam nobis memorare sanctam  
 Carmine vitam.  
 Te sacris votis generant parentes,  
 Cum diu lecto sterili vacassent,

Cc 2

Teq.

\* Studuere.

Teq̄ suscepto \* stuerere castam

Ducere vitam.

Natus his sanctis puer ergo votis

Gallia claram properas in urbem,

Artibus sacris animum q̄ cultis

Moribus ornans.

Hauseras sanctas ubi mente leges

Patriam Doctor rediens in aulam

Regiam, quarunt tibi mox venustam

Iungere sponsam.

Ut dies latis fuerat peracta

Nuptiis, virgo pudibunda vultu

Ducitur celfo tibi copulanda

Candida lecto.

Cum q̄ iam clausum fuerat cubile,

Et quies cunctis foret alta rebus,

Tu tua sponsa loqueris pudica

Talia verba.

Nata de magno mea sponsa Rege,

Non tuum castum violabo corpus,

Si placet mecum pia vota castae

Iungere vita.

Annuit virgo tenero pudore,

Et Deo magnas dedit ore grates,

Integram seruans generosa casto

Corpore vitam.

Ipse mox celsam genitoris aulam

Spiritus sancti monitu relinquens,

Horridas siluas, heremum q̄ vastis

Saltibus intras.

Et per exesa saua saxa rupis

Stratus orabas manibus supinis,

Ferus

Feruidum solem, boream, niuesq̄  
Passus & imbres.

Et feras inter medius quiescens,  
Sæpe montanis satiatus herbis,  
Hauseras puram liquidis fluentem  
Fontibus undam.

His ubi corpus dapibus foueres,  
Mentis in puram tenuatus auram  
Sæpe diuinos nitido videbas  
Pectore vultus.

Sic tribus lustris tacito peractis,  
Inde Romanam properas ad urbem,  
Qua Dei verbum monuit per urbem  
Spargere pastor.

Ipse mandatum recipis paternum,  
Et vagus terras varias pererras,  
Donc immensum peregrè venires  
Latus ad Histrum.

Hic ubi cymbis tumidus careret,  
Præbuit tutam pater alme nauem  
Pallium: quo tunc fueras pudico  
Corpore tectus.

Moxq̄ per vastas nemoris latebras  
Noricam latus veniens in urbem,  
Hanc docens sacra monitu profanos  
Linguere cultus.

Et Deum celso residere cælo  
Prædicas: pœnas vitiiis daturum,  
Quiq̄ virtuti tribuat beatæ  
Præmiâ vitæ.

Ille de casta genitrice natus,  
Corporis mortem tulerat cruentam,



Tertio Phæbore diens sepultis

Victor ab oris

Approbas multis tua verba signis

Scripta quæ libro reperi fideli,

Nec minus claris hodie coruscas

Inclyte signis

Cum q̄ iam longo fueras labore

Fessus, & sedes meritis beatas,

Te senem nostras Deus imperabat

Linquere terras.

Spiritus sanctos ubi liquit artus,

Mox boues corpus tulerant agrestes,

Quatuor sanctas modo personamus

Carminibus laudes.

Ergo iam cælo merito locatus

Hanc velis urbem mediis arenis

Conditam, sanctis precibus iuuare

Sedulus orans.

Terra secundo madeat liquore,

Et salutare habeat calores,

Spiceam gestans Cereris coronam

Fœnore multo.

Spumet & plenis rubicundus uuis

Bacchus, & frontes tetricas relaxet,

Et pecus latis numerosa carpat

Pascua pratis.

Prosperos seruent radiosa cursus

Astra: nec morbos subitos minentur,

Pax q̄ per nostras maneat perenni

Tempore terras.

Bata Germanis faueant triumphis,

Dum petit Turcos gladiis cruentis.

LIBER SECVNDVS.

380

Principis nostri iuuenile robur  
Maxmiliani.  
Hinc ubi nostras animas solutis  
Corporum vinculis Deus euocabit,  
Confer ut tecum capiamus alti  
Gaudia cœli.  
Hæc ubi nobis, pater, impetrabis,  
Ante supremi faciem tonantis,  
Hic tuas semper cumulemus aras  
Ture benigno.

Sequentia seu prosa de S. V Villibaldo.  
Ex Missali Eystettensi.

**F**ulget dies præclarus, cunctis memorandus seculis.  
Mansura quo sanctus sui laboris premia  
Villibaldus intrat aula cœlesti municeps.  
Nam Regum Rex Christus tetra luce hodierna corporis  
Eductum de claustris, supernis associauit ciuibus.  
Laboribus plurimis quamuis esset affectus nimium.  
Pro nihilo hos habuit: bonorum fatuorum conscius.  
Hunc Anglia natum; Angelis attitulat.  
Hic Spiritu sancto afflatus, dum vigeret in cunabulis: hostiam,  
Renuncians pompis omnibus diaboli,  
Et celibem vitam ducturus: se Domino velut agniculum immolat.  
Transcursâ infantiâ cum tribulibus, mox se eripuit patriâ.  
Nunc Romam: Et hiero circum plurima loca inuiserat: solimam.  
Hic rura postquam peragrat transmarina: quæ factus homo Iesus Chri-  
stus carnalibus ipse obambulat pedibus.  
Proffert tandem Dominus peregrinum talem pluribus profuturum: nos  
proprias illi commisit ouiculas.  
Hæc vigil Et bonus pastor vberimis pavit, Et satiauit pascuis.  
Et florida poli regna securus scandit: virtutum in signia suis distribuens.  
Ortu illius O Christe à peccaminum monstris nos tueri velis.

De

De S. VVillibaldo Hymnus ex Bre-  
uiario Eystetrensi.

**M**are, fons, ostium, atq; terrarum Deus tu omnium caput bonorum,  
à te bona fluunt, ad te recurrunt.

Longè ab insulis pars bona maris ad fontem rediit, teque requirit Iesum  
viuentium fontem aquarum.

Maris fons est Deus, pars W ILLIBALDVS, qui procul patriis cur-  
rens ab oris cerui more suum tendit ad haustum.

Anglorum insule felix alumne nos prece sedula dignos fac aqua, quam  
quisquis biberit, suum post nescit.

Mundos baptisinate fraudes iniquæ semper insciant maleq; mergunt per-  
stagnum criminis in poenam mortis.

Sed tuis precibus omnes rogamus, de sæua eripi noxa charybdis, tangen-  
tes lachrymis portum salutis.

Laus tibi Trinitas, laus & potestas, te laudant flumina, cæli ac terra, à  
mari ad mare laus sit hac die, Amen.

## De S. VValpurga Hymnus.

**A**ve flos virginum soror magnorum fratrum VVillibaldi & VVune-  
baldi, aue virginæ sponsa decoris.

Inter innumeros quos misit sanctos, te letam genuit, letamque misit flo-  
rem angelicum Anglia mater.

Te mater Domini, mater & virgo choreis virginum virginem iunxit, fi-  
lioque suo sponsam dicauit.

Ingressa thalamum Regis cælorum, audis angelicum carmen iucundum  
intra virgo tui gaudium sponsi.

Laus tibi Trinitas, laus & potestas, te laudant virgines quinque pruden-  
tes, tu ora pro nobis virgo VValpurgis, Amen.



## CAPVT X.

## De B. Virgine Stilla.

**M**ariaburgi, quod est Monasterium Virginum in diocesi Eystettensi, prope Abenbergam, ciuitatem, colitur sanctitatis opinione celebris virgo nomine *Stilla*; à *Silentio* utiq; quasi *Silentia-ria*. Sige, Græcis. Eiusdem originis est inter Alemannica mulierum vocabula *Stillina* & *Stillmuot*. Dicitur fuisse Proneptis Babonis Abenspergensis in Bavaria Comitis, cui fors admiranda tringita duos filios concessit, & ita quidem, vt omnes simul superstites videret; quorum vnus Wolframus, quem S. Henricus Imp. Abenbergensi Comitatu in Norico donasse fertur; qui vxore ducta genuit tres filios, Othonem, Wolframum & Conradum. Wolframus II. Zelchum Comitum filium habuit. Ex Zelcho prognati sunt duo filij Conradus & Rapoto, & vnica filia *Stilla*, qui duo cum S. Othone Bambergensi Episcopo fundarunt celeberrimū illud Monasterium Ordinis Cisterciensis, quod *Fontem Salutis*, Germanicè Heilsbrunnum, nominant, inter Norimbergam & Anspachium; quod factum est anno M. C. XXXII.

Sed *Stilla* semper mens erat ædificare Templum vel Monasterium, vel vtrumque, in monte Arci paternæ vicino. Et Templum quidem perfecit, cætera ne perficeret, mors intercessit: cumque funus ducere varent Heilsbrunnum, vbi fratres quiescebant, nulla ratione id loco moueri potuit. Iunctis ergo curruis equis; liberos abire siuerunt, sine vllō auriga aut rectore. At illi sacrū onus vltro deportarunt ad Templum, quod ipsa extruxerat, & in quo tumbam sibi

D d

elego-

elegerat, nec sine cœlesti approbatione; nam cum quadam die B. Stilla ex Arce paterna chirothecam suam deiecisset, hoc adiuncto: Ibi sepeliar, vbi hæc chirotheca inuenta fuerit; non alibi, quàm in templo abs se condito, reperta est; & eo quidem loco, quem pro sepulchro occupat. Stetit Templum solum vsque ad annum Christi M. CCC. LXX XII. quo tempore Wilhelmus Episcopus Eystettenfis Cœnobium sanctimonialium adiicere cœpit accitis virginib<sup>9</sup> ex Mariæ Lapide iuxta Eystadium, quæ religiosæ vitæ fundamenta ponerent; quod Monasterium postea & frequentia & pietate admodum floruit, ita vt præcipui patricij Norimbergenses huc suas filias Deo seruitoras missitarent.

Porro ad tumulum S. Scillæ statim, quamuis nondum excitato Monasterio, concursus fieri cœpit à vicinis Norimbergensibus, Weissenburgensibus, Anspachensibus, & ab aliis, qui beneficia meritis B. Scillæ impetrata, testabantur donariis, votiuisque tabellis prout olim quoq; ad sepulchra Martyrum fieri consuevit. Cuius consuetudinis locuples testis est Theodoretus, qui Sermone VIII. de Curandis Græcanicis affectionibus ita scribit. *Pie verò fideliterq; precatos ea maximè consequi quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persoluunt: manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia: nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porro manuum simulacra suspendunt, ex argento, aurone contexta; gratissimè namque accipit eorum Dominus qualia que sint dona, nec exigua, nec vilia dedignatur, quippe qui ea proferentis facultate metitur. Hæc itaq; omnibus spectaculo ex porrecta, testantur morborum depulsionem cuius ipsa certissima signa sunt à sanitatem consecutis allata.* Hæc Theodoretus.

Coretus quorum similia olim ad sepulchrum S. Stillæ viderelicuit, imò & hodie licet: neque enim cœlestis illius benignitatis fons exaruit. Vidi & legi Germanicè conscripta quinquaginta quinque manifesta sanè & euidentia miracula B. Stillæ suffragatione perpetrata; nam cecis visus est redditus, claudis incessus, surdis auditus, pestilentia depulsa, capitis dolores sedati, semimortui à limine mortis reuocati; & plura alia supra naturæ vires gesta, quæ insignem hanc A benbergensis Comitissam Christo sponso suo charissimam & gratissimam esse, perspicuè ostendunt.

Miraculorum multitudine & magnitudine permotus Gundackarus II. hoc nomine Episcopus Eystettensis Altare in memoriam B. Stillæ erexisse fertur. Sed ratio temporis obstat; nā Gundackarus diem supremum obiit anno Christi M. L X X V. quo anno B. Stilla fortè nondum nata, certè necdum nota erat. Alius ergo huius altaris conditor quærendus erit. Nec plura dicenda suppetunt de B. Stilla.

Cui iungenda videtur matrona in Rebdorffensi Monasterio tumulata nomine *Agnes Ayslingerina*, cui mirifica visa cœlitus oblata, & arcana non pauca diuinitus patefacta sunt, prout qui volet, legere poterit, in *Orationali* F. Hieronymi de Villa vitis Ordinis sancti Augustini Hagenouix olim excuso. Excessit ex rebus humanis anno Saluatoris M. D. I V. Hastenus de Diuis Eystettensibus collectanea; ita nomino, nam quæ hoc secundo libro attulimus, ea pleraque ex variis monumentis collecta & decerpta sunt

*Finis libri Secundi.*

Dd 2

HISTO.

*Caput XI.*

